INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ

QUAS

IN USUM AUDITORUM SUORUM

COMPOSUIT

FRANCISCUS JAVARONE

IN REGIO ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSOR, ACADEMIAE HERCULANENSIS ARCHAEOLOGIAE SOCIUS ORDINARIUS, HERCULANENSIUM VOLUMINUM INTERPRES.

TOM. IV.

NEAPOLI,
EX REGIA TYPOGRAPHIA.

CIↃIↃCCCXXIV.

DE

PRAEDESTINATIONE.

INDEX

Praecipuorum scriptorum, qui praedestinationis materiam copiosius tractarunt.

S. Augustini Enchiridion, et duo libri de Praedestinatione Sanctorum, et de dono Perseverantiae.

S. Prosperi, et S. Hilarii epistolae ad Augustinum.

S. Prosperi liber contra Collatorem, et responsiones ad obiectiones Vincentii, et ad Gallorum capitula.

Libri de vocatione Gentium.

S. Fulgentii libri de veritate praedestinationis, et gratiae, de Fide ad Petrum, et liber primus ad Monimum.

S. Remigius Lugdunensis de tenenda veritate Scripturae, et de tribus Epistolis.

Ratramnus de Praedestinatione contra Hincmarum.

S. Anselmus de concordia praescientiae, praedestinationis, et gratiae cum libero arbitrio.

Honoratus Augustodunensis *in Auctar. Bibliothecae veter. Patrum Tom. II.*

*

S. Thomae prima pars Summae Theologicae; q
stiones disputatae de veritate; et commentar
Epistolas S. Pauli ad Romanos, et ad Eph
Petavii Dogmata Theologica de Deo.
Gonet de scientia, et voluntate Dei, provide
et praedestinatione, in *Clyp. Theologiae*
misticae,
Contenson de Divinis Attributis, in *Theologia*
tis, et cordis.
Witasse de voluntate Dei erga salutem homir
et praedestinatione, in *Tract. de Deo.*
Historia Congregationum *de auxiliis*, auctore I
cintho Serry.
Traité du libre arbitre, par Bossuet; et ses
niers livres de la défense de la Tradition.
Le livre de l'action de Dieu sur les créature
Réflexions Philosophiques, et Théologiques co
le P. Mallebranche.
Traité de la Providence, par le P. Touron.
Gregorii de Valentia de Rebus fidei controve
Guillelmi Estii in 1. Sentent. Distinct. XL.
Francisci Suarez de Deo Tom. I.
Martini Becani Disputatio de Praedestinatione.
Garnerii Disputationes ad Haeresim Pelagianan
Norisii Vindiciae Augustinianae.
Iacobi Hackeri Disputationes.
Petri a Motte Professionis fidei Liber II.
Joannes a Bononia de Praedestinatione.

DE PRAEDESTINATIONE.

CAPUT I.

Praedestinationis multiplex sensus affertur. Eius accurata definitio, et praecipua nomina.

§. 1. PRAEDESTINATIONIS vocabulum vario sensu usurpatum invenitur. Primo enim aeternum Dei decretum, quo peccatores, secundum infinitae iustitiae leges, poena ipsorum peccatis debita damnantur, praedestinationem aliquando appellarunt veteres Patres; quo modo inter alios loquutus est Augustinus Enchirid. cap. 100. ubi ait Deum summe bonum bene uti etiam malis *ad damnationem eorum, quos iuste praedestinavit ad poenam.* Quo quidem sensu nunquam praedestinationis vocem Sacra Scriptura, quantum novimus, adhibuit. Verum

huiusmodi decretum, quo sempiternis suppliciis impios homines iustissime Deus addicit, peculiari vocabulo *Reprobatio* dicitur a Theologis. Altero vero sensu praedestinatio accepta reprobationi adversatur; atque est aeternum Dei decretum, quo pro sua misericordia quosdam sine ullis eorum meritis naturalibus ad coelestem felicitatem elegit, atque ipsis auxilia, quae ad finem hunc adsequendum sunt necessaria, praeparavit. Porro praedestinationis, si hac altera ratione sumatur, duplex est genus: alia enim vocitatur *completa*, alia *incompleta*. Completam Scholae docent ad illos pertinere, qui in gratia perseverantes ad gloriam usque pervenient; de qua quidem meminit Paulus, quum inquit: *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit.* Rom. VIII. 30. De hac ipsa loqui videtur Augustinus de Praedestinat. Sanct. Cap. XVII. n. 34. Incompleta vero praedestinatio de iis intelligitur, qui gratiam sane consequuntur, sed in ea deinde non perseverant.

Atque hanc profecto incompletam praedestinationem indicare videtur Apostolus iis verbis: *Elegit nos in ipso* (Iesu Christo), *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu eius in caritate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Ephes. 1. 4. et seqq. Praedestinati enim hic dicuntur, quotquot Christi fidem, eiusque gratiam adipiscuntur; at non omnes, qui in eo censentur numero, gloria potiuntur: siquidem *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Matth. XX. 16. Etiam de hoc praedestinationis genere verba facere videtur Augustinus de Praedest. Sanct. cap. XVIII. Sed de utroque agit S. Thomas I. p. qu. XXIV, art. III. quem lege, si placet.

§. 2. Iam vero Praedestinatio definitur ab Augustino: *praescientia, et praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* De dono perseverantiae

cap. XIV. n. 35. Nec ab Augustino, nisi solis verbis, discrepat Angelicus Doctor, qui illius doctrinam amplexus, accurate, ac luculenter explanavit; ab eo enim praedestinatio exponitur: *ratio in Deo praeexistens transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae.* I. p. qu. XXIII. art. 1. c. vel *ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, in mente divina existens* ibid. art. II. c. Quas Aquinatis definitiones operae pretium esse duco breviter enucleare. Nimirum quum Dei sit creatas res ad finem dirigere; quumque hominis finis eiusmodi sit, ut humanas vires excedat, quippe qui in ipsius Dei summi Boni adeptione sit positus; omnino ad illum virtute divina, ac naturam excedente perducatur, oportet. Isthaec autem ad finem perductio *transmissionis* nomine significatur, ab iis, qui ad scopum sagittas transmittunt, metaphora sumpta. Deus igitur ab omni aeternitate scivit, ac decrevit quosdam ad aeternae vitae finem auxiliis natura superioribus provehendos. Atque hanc scientiam, et voluntatem significant verba illa, qui-

bus in altera definitione usus est Angelicus Doctor, nempe: *ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, in mente divina existens.* At quum Deus vult, ut quidam ad aeternam vitam perveniant, vult quoque ea omnia illis exhibere, per quae ad illam usque obtinendam perducantur: quapropter auxilia ipsa iisdem ab aeterno paravit. Haec omnia in definitione sua ὁ πάνυ Augustinus complexus est, praedestinationem nihil aliud esse adfirmans, nisi *praescientiam, et praeparationem beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur* (1).

§. III. Ex dictis facile est agnoscere rationes, quibus varia tribuantur praedestina-

---

(1) In quae quidem verba illud animadvertendum, quod Augustinus loquitur de sola praedestinatione hominum, non vero Angelorum; homines enim, non Angelos e statu miseriae, in quem peccando pervenerunt, revocare per Christum Deus decrevit. Ceterum quidquid de hominum praedestinatione dicitur, ad Angelos etiam spectat.

tioni nomina; quorum alia quidem completae praedestinationi, alia vero incompletae tantum conveniunt. Ac primo vocatur *dilectio;* ut apparet ex illo Ioannis loco III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Deinde dicitur quoque *electio*, ex Apostolo ad Ephes. I. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Vocatur praeterea *propositum, et consilium* voluntatis divinae: *praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Ephes. I. 11. Appellatur denique *liber vitae*, auctore Ioanne Apoc. III. 5. XIII. 8. XVII. 8. Nec mirum porro videri debet, quod huiusmodi appellationibus a sacris Scriptoribus praedestinatio designetur. Diligere enim est velle bonum alicui; Deus autem praedestinatis aeternae vitae bonum vult. Tum hoc bonum Deus benigne vult quibusdam prae aliis, quos iuste reprobat; quod quidem electio est. Et quoniam Dei electio est voluntatis eius actus infinite liber; hinc me-

rito adhibentur *propositi*, et *consilii* voces. Demum, quum quidquid Deus vult, profecto sciat; propterea metaphorice *ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet se aliquos praedestinasse ad vitam aeternam, dicitur liber vitae*, ut ait S. Thom. I. p. qu. XXIV. art. I. c.

Ad haec Praedestinati appellantur a Luca *ordinati*, *vel praeordinati ad vitam aeternam* (1); a Paulo *vasa misericordiae* (2); a Ioanne *oves Christi*, non solum generali illa significatione, qua fideles omnes Christi oves, et incomplete praedestinati sunt, sed etiam peculiari, quam innuunt verba ipsius Christi, et qua complete praedestinati describuntur (3).

(1) *Crediderunt, quotquot erant praeordinati* (*Graece* τεταγμένοι, *ordinati*) *ad vitam aeternam.* Actor. XIII. 48.

(2) *Ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.* Rom. IX. 23.

(3) *Oves meae vocem meam audiunt, et ego*

CAPUT II.

Catholicum dogma de Sanctorum praedestinatione, et reproborum damnatione exponitur: haereticorum praecipui errores de hac re breviter enarrantur.

§. I. Quae Catholica Ecclesia circa Sanctorum praedestinationem, et reproborum damnationem docet, haec sunt:

1. Praedestinationem Sanctorum admittendam esse, eamque aeternam, atque in se certissimam.

2. Definitum esse, atque certissimum in Dei praescientia numerum praedestinatorum.

3. Nemini fide tenendum, se esse in numero praedestinatorum, et perseverantiam obtenturum.

4. Aeterna Dei praedestinatione non tolli liberum voluntatis arbitrium.

---

cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum. Ioan. X. 27. 28.

5. Neminem reprobari, qui aeternam poenam non promereatur.

§. II. At Sanctorum praedestinationem negarunt Pelagiani, atque Semipelagiani; nam etsi nomine tenus eam faterentur, re tamen vera omnino evertebant. Pelagiani enim nullam gratiae divinae necessitatem agnoscentes, per solas liberi arbitrii vires aeternam salutem obtineri posse existimabant. Semipelagiani vero docebant, homines naturalibus viribus Fidem amplecti, atque ita electionem ad salutem mereri posse. Id sane aperte discimus ex Augustino, qui haec habet: *Pelagiani putant, acceptis praeceptis, iam per nos ipsos fieri liberae voluntatis arbitrio sanctos immaculatos in conspectu eius in caritate: quod futurum Deus quoniam praescivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit, et praedestinavit in Christo. Nos autem dicimus, inquiunt Semipelagiani, nostram Deum non praescisse, nisi fidem, qua credere incipimus; et ideo nos elegisse ante Mundi constitutionem, ac praedestinasse, ut etiam sancti et imma-*

culati gratia, atque opere eius essemus. De Praed. SS. Cap. XIX. n. 38. Praeterea addebant Semipelagiani, non ita certam esse praedestinationem, ut electorum numerus vel augeri, vel minui nequiret, teste Hilario ad Augustinum Epist. 226, qui ita scribit: *et illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, reiiciendorumque esse definitum numerum nolint.*

Calvinistae contra contendunt, non solum in se certissimam esse praedestinationem; sed etiam quemque nostrum de sua praedestinatione ita certum esse, ut infidelis sit, si de ea dubitet. Tum divina praedestinatione liberum hominis arbitrium omnino tolli opinantur; quo in errore iam a primis Ecclesiae saeculis versati sunt quoque plerique Graecorum, teste Origene Comment. in Genesim n. 5. pag. 10. Tom. IV. Paris. edit. CIϽIϽCCLIX. Hinc *homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in aeternam mortem praedestinari*, impie adfirmat Calvinus Instit. Lib. III. c. XXIII. n. 2.

CAPUT. III.

Catholicum dogma circa Sanctorum praedestinationem demonstratur: tum ei oppositi refutantur errores.

Propositio I.

Existit praedestinatio Sanctorum, eaque aeterna est, atque in se certissima.

Prob. 1. Ex Script. quae apertissime docent Deum, antequam mundum crearet, vitam aeternam, atque auxilia ad illam obtinendam quibusdam praeparasse: *Elegit nos*, ait Apostolus, *in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in caritate; qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Ephes. I. 4. 5. Idemque alibi: *Collabora Evangelio secundum virtutem Dei salvos nos facientis, et vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum pro-*

positum et gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora aeterna; manifestata autem nunc per adventum Salvatoris nostri Iesu Christi. 1. Tim. 1. 8. et seqq. *In spem vitae aeternae, quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora saecularia.* Tit. 1. 2. Quem locum ita exponit Chrysostomus: *promisit, id est dare decrevit, proposuit, praedestinavit apud se, in sua mente divina, dare fidelibus suis vitam aeternam.* Hanc vero praedestinationem certissimam esse, et immutabilem Christus ipse satis declaravit, quum apud Ioan. X. 27, 28, 29, ait: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me; et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est; et nemo potest rapere de manu patris mei.* Quae postrema verba ita leguntur in Graeco: Ο' πατηρ μου, ὃς δεδωκε μοι, μειζων παντων εστι: *Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est*; nempe Pater meus omnipotens est,

ideoque illos, quos Pater praedestinavit, nemo perdere potest. Eamdem veritatem ostendunt verba Apostoli: *sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei*. Rom. XI. 29. quae ita explicat Augustinus: *id est sine mutatione stabiliter fixa sunt*. De Praedest. Sanctor. cap. XVI. n. 33. Praedestinationis porro aeternitatem, atque immutabilitatem complexus est idem Apostolus per haec verba: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui ..... Quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et iustificavit, quos autem iustificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad haec? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. VIII. 30. Praedestinati ergo (praedestinatione completa, de qua verba facit Apostolus) vocantur, iustificantur, glorificantur, ita Deo volente, cuius omnipotentiae nulla vis resistere valet.

Prob. 2. Ex Tradit. cuius quidem testem locupletissimum habemus S. Augustinum, quem unum citasse satis superque est., ubi de Gratia, et Praedestinatione disputamus.

Quum enim ipse omni cura et diligentia Scripturas, et Patres ad doctrinam catholicam contra Pelagianos, et Semipelagianos constabiliendam atque declarandam evolvgerit, eius unicum testimonium ceterorum omnium loco habendum iure meritoque Catholici omnes censent. Pauca igitur ipsius loca percurramus. Ac primo sic loquitur: *Haec itaque dona Dei, quae dantur electis secundum Dei propositum vocatis, in quibus donis est et incipere credere, et in fide usque ad vitae huius terminum perseverare, sicut tanta rationum, atque auctoritatum contestatione probavimus; haec, inquam, Dei dona, si nulla est praedestinatio, quam defendimus, non praesciuntur a Deo; praesciuntur autem: haec est igitur praedestinatio quam defendimus.* De dono Perseverant. Cap. XVIII. n. 47. Et alio in loco: *Unde non ob aliud dicit*: non vos me elegistis, sed ego elegi vos; *nisi quia non elegerunt eum, ut eligeret eos, sed ut eligerent eum, elegit eos; quia misericordia eius praevenit eos secundum gratiam, non secundum debitum*

Elegit ergo eos de mundo, dum hic ageret carnem, sed iam electos in seipso ante mundi constitutionem. Haec est immobilis veritas praedestinationis, et gratiae. De Praedestinat. *SS.* Cap. XVII. n. 34. Praeterea: *Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia; sed adtendat quotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. Haec Deus facturum se esse praescivit; ipsa est praedestinatio Sanctorum, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi .... Contra istam veritatis tam claram tubam, quis homo sobriae, vigilantisque fidei voces ullas admittat humanas?* De dono Perseverant. Cap. VII. n. 15. Demum: *Haec igitur, quae poscit a Domino, et semper ex quo esse coepit, poposcit Ecclesia, ita Deus vocatis suis daturum se esse praescivit, ut in ipsa praedestinatione iam dederit .... Quae bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse uti-*

que credidit; nec ab illo esse praecognita umquam ei negare fas fuit. Ac per hoc praedestinationis huius fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia Christi non habuit. De dono Perseverant. Cap. XXIII. n. 65. Augustino concinunt Prosper, vel quisquis est Auctor librorum de vocatione Gentium, et Fulgentius. Alter enim ait Apostolum in epist. ad Ephesios docere: *donum, atque opus gratiae in aeterno semper Dei mansisse consilio, omnesque adoptionis filios non solum in eo tempore, quo iam existentes vocati sunt, sed etiam, priusquam mundus conderetur, electos ...... Omnes enim, qui in Regnum Dei de cuiuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ista, quae saecula cuncta praecessit, adoptione signati sunt. Et sicut nullus infidelium in hac sorte numeratus, ita nullus piorum ab hac sorte discretus est. De plenitudine quippe membrorum corporis Christi, praescientia Dei, quae falli non potest, nihil perdit, et nullo detrimento minui potest summa prae-*

cognita, atque in Christo ante saecula aeterna praeelecta. De vocat. Gent. lib. 11. cap. XXXIII. Alter vero ita scribit: *Firmissime tene, et nullatenus dubites omnes, quos vasa misericordiae gratuita bonitate Deus fecit ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei praedestinatos a Deo; neque perire posse aliquem eorum, quos Deus praedestinavit ad Regnum coelorum, nec quemquam eorum, quos non praedestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari. Praedestinatio enim illa gratuitae donationis est praeparatio, qua nos Apostolus ait praedestinatos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum.* De fide ad Petrum Diac. cap. XXXV. Atque hanc ipsam doctrinam tradit Gregorius Magnus (illa Iobi verba explicans: *orabam filios uteri mei*): *In utero proles concipitur, quae in hac vita profertur. Quid ergo uterum Dei, nisi eius consilium debemus accipere, in quo ante saecula per praedestinationem concepti sumus, ut creati per saecula producamur?* Moral. Lib. XIV.

Cap. XLV. n. 53. pag. 456. T. I. Parisiis 1705. Nec dissentit Bernardus: *Quidnam est*, inquit, *illud*: Misericordiae Domini ab aeterno, et usque in aeternum, super timentes eum (Psal. 102.)? *Ab aeterno propter praedestinationem, in aeternum propter beatificationem. Altera carens principio, altera nesciens finem. Siquidem quos ab aeterno praedestinat, in aeternum beatificat, intercedente sane media vocatione una cum iustificatione.* Epist. CVII. n. 5.

Prob. 3. ratione theologica. Nemo certe quidem regnum Dei ingreditur contra ipsius Dei, cuius est regnum, voluntatem: ergo regnum Dei ingredientur, quotquot Deus vult ingredi. Ideo Christus filiis Zebedaei dicebat: *non est meum* (si nempe me secundum carnem tantum intueamini) *dare vobis regnum*; *sed quibus paratum est a Patre meo.* Matth. XX. 23. (atque adeo a me; nam *Ego et Pater unum sumus* Ioan. X. 30). Haec autem Dei voluntas, qua regnum suum, quibus voluit, paravit, praedestinatio est. Existit

ergo praedestinatio. Atqui Dei voluntas aeterna est, atque in se certissima. Ergo aeterna, atque in se certissima est praedestinatio. Praeterea quidquid vult Deus, ipsius Dei infinitam scientiam profecto non fugit; immo scientia, et voluntas in Deo sunt unum idemque; quapropter in Scriptura Praedestinatio quandoque vocatur praescientia: *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit.* Rom. XI. 1. (1). Atqui Dei scientia aeterna est, ipsaque nec fallitur, nec falli potest. Ergo existit praedestinatio aeterna, atque in se certis-

(1) Ex quo Apostoli loco *praedestinationem* aliquando *praescientiae* nomine significari concludit Augustinus his verbis: *Hic quod ait, praescivit, non recte intelligitur, nisi praedestinavit: quod circumstantia ipsius lectionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Iudaeorum, quae salvae factae sunt, pereuntibus ceteris .... Nullus igitur, qui haec intelligit, negare, vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus:* Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit, *praedestinationem significare voluisse.* De dono Persever. cap. XVIII. n. 47.

sima. Duo haec argumenta paucis verbis complexus est Augustinus, qui Praedestinationem ita definivit: *In sua* (nempe Divina), *quae falli, mutarique non potest, praescientia opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est praedestinare.* De Dono Persever. Cap. XVII. n. 41. (1).

Obiic. Timore, ne ex praedestinato reprobus evaderet, angebatur Apostolus, dum haec scripsit: *castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne, quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* I. Cor. IX. 27. Atqui vanus omnino esset hic timor, si certissimum esset praedestinationis decretum. Ergo tale non est.

Resp. Illa Apostoli verba, *ne reprobus efficiar*

(1) Huiusmodi vero praescientia non est nuda, ac sterilis rei futurae cognitio, sed cum voluntatis amore coniuncta. Dicunt enim Scripturae, solos electos a Deo cognosci, reprobos autem ab ipso nesciri; illa nempe scientia, quae adprobationis adpellatur, et amorem quoque complectitur, ut pluribus exemplis confirmat Origenes, Comment. in Epist. ad Rom. Lib. VIII. pag. 629. Tom. IV.

ita interpretatus est Hieronymus: *ne reprobus inveniar.* Tom. IV. pag. 670. edit. PP. Maurin. Igitur non de divino decreto, sed de eius patefactione, quae per opera fit, loquebatur Apostolus. Praeterea non timebat Paulus, ne praedestinationis decretum mutaretur, vel effectu suo careret: *voluntati enim eius* (Dei) *quis resistit?* ut ipse adfirmat Rom. IX. 19. sed ne ab hoc decreto exclusus magno perseverantiae dono, atque gloria privaretur. Obiectus igitur Apostoli locus divinam praedestinationem nobis esse ignotam, non vero in se incertam probat.

PROP. II.

Certus est, ac definitus in Dei praescientia numerus praedestinatorum.

Prob. ex Script. Primum enim Apostolus de Hymenaeo, et Phileta haereticis, qui quorumdam fidem perverterunt, sermonem habens haec scribit : *Sed firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: cognovit Do-*

minus, qui sunt eius. II. Tim. II. 19. Firmum Dei fundamentum aeternnm, immutabileque Dei decretum, quo veluti sigillo quodam consignati sunt quotquot ad gratiam, atque ad gloriam vocabuntur, Paulus appellat; atque ad Num. XVI. 5. alludit, ubi Moyses ait: *Mane notum faciet Dominus, qui ad se pertineant*; Hebr. את אשר לו *qui ei.* Ergo certus est, ac definitus in Dei praescientia numerus praedestinatorum. De Haereticis quoque ita loquitur Ioannes: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* ep. I. cap. II. 19. Ergo etiam inter eos, qui catholicam fidem profitentur, multi quum ex numero electorum in Dei praescientia certissime definito non sint, a fide deficiunt. Vide Augustinum de Corrept. et Gratia cap. IX. ubi locum hunc Ioannis illustrat. Deinde eos tantum ad se venire adfirmat Christus, quos Pater sibi dederit; *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.....Haec*

est autem voluntas eius, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.....Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Ioan. VI. 37. 39. 66. Illi igitur gratiam, et gloriam obtinebunt, quos Deus obtenturos ab aeterno praescivit. Ex illis denique Apoc. III. 11. verbis: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam,* certum esse electorum numerum infert Augustinus de Corrept. et Grat. cap. XIII. n. 39. *Si enim,* ait, *alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus.* Ita etiam locum hunc interpretatur Gregorius Moral. Lib. XXV. cap. VIII.

Prob. II. ex Trad. quam ex Augustino luculenter accipimus, qui Tract. XII. in Ioannem: *Novit Dominus,* ait, *qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam; novit in area sua triticum, et paleam; novit segetem, novit zizania.* (1)

(1) Multo antè Augustinum Tertullianus hoc idem docuit: *Cognoscit Dominus, qui sunt eius, et plantam, quam non plantavit Pater, eradicat;*

Et alibi eorum temeritatem, qui hanc Dei praescientiam negabant, sic redarguit: *An quisquam dicere audebit, Deum non praescisse, quibus esset daturus, ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam?* De dono perseverant. cap. XIV. n. 35. In libro vero de Corrept. et Gratia cap. XIII. n. 39. praedestinatorum numerum nec augeri, nec minui posse ita adfirmat: *Haec de his loquor, qui pradestinati sunt in Regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.* Eisdem pene verbis utitur Fulgentius: *Praedestinationis ita manet firmitas aeterna non solum in dispositione operum, verum etiam in numero personarum, ut nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis aeter-*

---

et de primis novissimos ostendit, et palam in manu sua portat ad purgandam aream suam; avolent, quantum volent, paleae levis fidei quocumque afflatu tentationum, eo purior massa in horrea Domini reponetur. Praescript. III.

nae gratiam perdat; *nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis aeternae perveniat.* De veritate Praedestinationis Lib. III. cap. XIV. Eandemque veritatem comprobat Gregorius: *Notandum vero est, quia dum aliis cadentibus ad standum alii solidari perhibentur, Electorum numerus certus, ac definitus ostenditur.* Moral. Lib. XXV. Cap. VIII.

Prob. III. rat. Theolog. Augustinus de Corrept. et Grat. Cap. VII. n. 14. sic ratiocinatur: *Horum* (nempe praedestinatorum) *si quisquam perit, fallitur Deus*: *sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Ergo in Dei praescientia, quae nec falli, nec vinci potest, certus est ac definitus numerus electorum.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. In Psalm. LXVIII. 29. verba haec leguntur: *Deleantur de libro viventium.* Ergo minui potest electorum numerus.

Resp. Quidam libro, de quo loquitur Psalmista, non electorum numerum, sed omnium omnino hominum seriem significari volunt; sed immerito, ut ostendunt verba quae adduntur: *et cum iustis non scribantur*. Dicendum ergo illos de libro vitae deleri, qui se in electorum numero esse putabant, at re quidem vera in eo non erant; vel qui incomplete tantum praedestinati fuerant, ut nempe gratiam consequerentur, sed ad gloriam usque obtinendam propria malitia non pervenirent.

Obiic. II. Multiplicari possunt electi iuxta illud Psalmi XXXIX. 6. *Annunciavi, et loquutus sum; multiplicati sunt super numerum*; quod de praedestinatis ad caelestem Hierusalem intelligit Augustinus Enarrat. in Psalm. Ergo certus non est electorum numerus.

Resp. Ii qui multiplicantur super numerum, ad gratiam, non vero ad gloriam praedestinati fuerunt; ut ex ipsis Psalmi verbis patet. De iis enim sermo est, qui verbum Dei audiunt, et fidem recipiunt. At non

omnes, qui ad fidem recipiendam vocantur, sunt etiam electi. Illud etiam dici potest, quod numerus, super quem multiplicantur, non est numerus in Dei praescientia certus, ac definitus; sed numerus, qui ab hominibus censetur. Non est tandem silentio praetereunda huius versiculi hebraica lectio, secundum quam obiectio prorsus evanescit. Ita enim habetur: אנידה ואדברה עצמו מספר *annunciabo, et loquar; fortia fuere prae narrare*, id est mirabilia Domini, de quibus sermo est in eodem Psalmo, adeo multa fuerunt, ut narrari nequeant.

Obiic. III. Aliqui ex electorum numero pereunt, ut ostendit illa Christi ad Patrem adlocutio: ***Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.*** Ioan. XVII. 12. Ergo certus non est praedestinatorum numerus.

Resp. Particula *nisi* phrasi Hebraica saepissime adhibetur in sacris scripturis pro ***sed tantum***: e. g. IV. Reg. V. 17. ***Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino***, id est

sed tantum Domino, qui solus est verus Deus; et ad Galat. II. 16. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi* (sed tantum) *per fidem Iesu Christi*; et Apoc. XXI. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni*; et alibi passim. Ita igitur intelligenda est obiecta Christi sententia, ut nempe perierit nemo ex iis, quos illi dedit Pater; sed tantum filius perditionis, qui in eorum numero non erat. Quam interpretationem Ioannes ipse comprobat, qui cap. XVIII. 9. de illa Christi adlocutione absolute scribit: *ut impleretur sermo, quem dixit* (Iesus): *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

PROP. III.

Nulli fide tenendum, se esse in numero praedestinatorum, ac perseverantiam obtenturum.

Prob. 1. ex Scripturis, quae nos ad metum

et timorem, ne vita aeterna excidamus, hortantur; eosque laudant, qui in aeternae salutis negotio solliciti sunt, et minime securi. Nimirum ait Apostolus: *Tu fide stas; noli altum sapere, sed time; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Rom. XI. 20. Et alio loco: *cum metu, et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Philipp. II. 12. 13. Quae verba ita exponit Chrysostomus: *Artifex tegularius, etsi valde peritus sit, cum timore tamen, et tremore stat,* (in tecto) *metuens, ne ab aedificio decidat; et tu credidisti, multa bona patrasti, in sublime ascendisti, caute teipsum continebis, et cum timore stabis, oculumque vigilantem habebis, ne inde decidas: sunt enim multae nequitiae spirituales, quae te deiicere conantur.* Nec dissimili ratione S. Leo: *Haec inquit Sanctis causa est tremendi, ac metuendi ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiae, et remaneant in infirmitate naturae.* Serm. VIII.

de Epiphan. Praeterea Salomon inquit: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Prov. XXVIII. 14. Atqui panicus foret hic timor, sollicitudo haec prorsus inutilis, si nostram praedestinationem omnino exploratam haberemus. Ergo etc. Ad haec illa Salomonis sententia: *Sunt iusti, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* Eccle. IX. 1. 2. dogma hoc apertissime confirmat. Docet enim in hac vita neminem, ne iustum quidem, ac sapientem, cuius opera Deus ipse dirigit, certo prorsus scire posse, utrum divina gratia praeditus a Deo diligatur, atque electis adnumeratus in gratia perseveret; necne. Illud demum Christus ipse pronuntiavit, quod salutem aeternam non consequentur, nisi qui in eius amore ad ultimum usque vitae terminum permanserint. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. X. 22. Atqui utrum in divina gratia perseveraturus sit, nemo certe novit; *quis enim hominum* (ait Augusti-

nus de Civ. Dei lib. XV. cap. XII.) *se in actione, profectuque iustitiae perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto, latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit* (1).

Prob. II. ex Tradit. Nulli fidelium existimandum se esse in numero electorum, aperte docet Augustinus, qui ita scribit: *Quis ex multitudine Fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prae-*

---

(1) Per huiusmodi revelationem praedestinationem suam novit latro ille, cui Christus dixit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. XXIII. 43. Nec non Stephanus πρωτομάρτυρ, qui *quum esset plenus Spiritu Sancto, intendens in Coelum, vidit gloriam Dei, et Iesum stantem a dextris Dei.* Act. VII. 55. quare de eo dicit Ecclesia: *vidit, et introivit; beatus homo, cui coeli patebant.* Petro etiam id divinitus patefactum ex eius ep. II. cap. I. 14. et seq. coniicere licet; itemque Paulo, ut ipse II. ad Tim. cap. ult. 8. innuere videtur.

destinatorum se essè praesumat? Et rationem praecipuam, cur id occultare voluerit Deus, addit his verbis: *Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satanae Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.* De Correpť.et Grat. XIII. n. 40. Nec diversa ratione loquitur Auctor Librorum de Vocatione Gentium: *De nullo ante ipsius finem pronuntiari potest, quod in electorum gloria sit futurus.* Lib. II. Cap. 34. Idem tradit M. Gregorius: *Quia vocati sumus*, inquit, *novimus*; *si simus electi, nescimus. Tanto ergo necesse est, unusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto si sit electus, ignorat.* Hom. XXXVIII. in Evang. Doctrinam hanc comprobat quoque Bernardus, cuius verba haec sunt: *Quis potest dicere: Ego de electis sum, ego de praedestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis haec, inquam, dicere potest, reclamante nimirum Scriptura;* nescit homo, si sit dignus amore, an odio. *Certitudinem utique non habemus:*

sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Serm. I. de Septuagesima.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae iudicio. Sic enim publica oratione, quae fidei testimonium est, Deum compellat: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus.* Secret. Fer. V. post Cineres. In Tridentina autem Synodo congregata, fideles sic edocet: *Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum... Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.* Sess. VI. de Iustif. Cap. XII. Quod etiam de perseverantiae munere dicit cap. XIII. Deinde aliter sentientes eadem Synodus sic damnat: *Si quis dixerit hominem renatum et iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum, anathema sit.* Can. XV. Tum: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae*

donum se certo habiturum , absoluta et infallibili certitudine dixerit ; nisi hoc ex speciali revelatione didicerit ; *anathema sit.* Can. XVI.

Prob. IV. ratione Theolog. Nulli fide tenendum , nisi quod Deus ipse declaraverit Atqui neque per Scripturas, neque per Traditionem quosnam elegerit declaravit Deus, sed hanc notitiam sibi soli reservavit : *Ego scio quos elegerim.* Ioan. XIII. 18. Ergo sine speciali Dei revelatione nulli fide tenendum, se esse in numero praedestinatorum.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Apostolus se nullo pacto de sua praedestinatione dubitare ostendit, haec scribens: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura , neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum , neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei .* Rom. VIII. 38. 39. Quae verba cuilibet iusto

homini adcommodat Augustinus Enarrat. in Psalm. VII. Ergo iusti pro certo habere debent se esse praedestinatos.

Resp. Exemplum Apostoli nihil quidem probat; potuit enim Deus illi suam praedestinationem patefacere, quod fecisse videtur, ut supra notavimus. Immo hoc ipsum, quod speciali revelatione se praedestinatum esse didicerit Paulus, demonstrat generatim omnino certam non esse praedestinationem. Praeterea Apostolum de iustis omnibus loqui, falsum prorsus est; nam ibi v. 33. electos, non iustos nominat, atque electorum ne unum quidem a gloria excidere posse ostendit, ut ex contextu patet. Electorum vero personam gerens, inter quos se fore confidebat, vel ex speciali revelatione certissime noverat, se a caritate Dei perpetuo separatum non iri omnino asseveravit. Quod si Augustinus Apostoli verba omnibus iustis aptavit, de illa firmitate loquutus est, quae moralis appellatur, et omne dubium, omnemque metum haud excludit.

Obiic. II. I. Ioan. IV. 13. dicitur nos certo

scire Deum in nobis mansurum, et nos in Deo: *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Atqui in Deo manere idem est, ac in gratia perseverare. Ergo nulli fidelium de perseverantiae munere ambigere licet.

Resp. Duo quidem in allatis Ioannis verbis sunt animadvertenda. Primum enim manere ibi non perseverare, sed Deo per gratiam sanctificantem coniungi significat, ut ex ipsius Apostoli Evangelio cap. XIV. 23. constat, in quo haec leguntur: *Si quis diligit me... et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Deinde non de singulis fidelibus, sed de tota Christi Ecclesia loquitur, quae, quum inter ceteros sinu suo electos etiam complectatur, hos ad aeternam vitam perventuros dubitare non potest.

Scholion.

Quamquam nemo sine speciali Dei reve-

latione praedestinationem suam tam certam habere debeat, ut falli non possit; eam tamen ex quibusdam signis arguere potest, quae firmitatem illam, quam moralem appellant, gignunt. *Quando enim*, egregie ait S. Bernardus, *sine testimonio electos suos deserat Deus? Aut certe quaenam eis esse poterat consolatio inter spem, et metum sollicitudine anxia fluctuantibus; si nullum omnino electionis suae habere testimonium mererentur? Novit Dominus, qui sunt eius; et solus ipse scit, quos elegerit a principio. Quis vero scit hominum, si est dignus amore, an odio? Quod si, ut certum est, certitudo nobis omnino negatur, numquid non tanto delectabiliora erunt, si qua forte electionis huius signa possimus invenire? Quam enim requiem habere potest spiritus noster, dum praedestinationis suae nullum adhuc testimonium tenet? Fidelis proinde sermo, et omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur. Hoc sane verbo et electis consolatio ministratur, et subtrahitur reprobis excusatio. Cognitis si-*

quidem signis vitae, quisquis haec negligit, manifeste convincitur in vano accipere animam suam, et pro nihilo habere terram desiderabilem comprobatur. S. Bernard. Serm. II. in Octav. Paschae. n. 3. Quae autem ex variis Scripturarum et Patrum locis afferri solent praedestinationis signa, haec sunt : nempe bonae conscientiae testimonium, divinorum mandatorum observatio, praesentis vitae laborum tolerantia, humilitas, misericordia in pauperes, et alia huiusmodi. At omnia perbelle quidem, ni fallor, paucis his verbis complexus est idem S. Bernardus : *Si contines a peccatis, si dignos agis poenitentiae fructus, si facis opera vitae.* Ibid. n. 5.

PROP. IV.

Aeterna Dei praedestinatione non tollitur liberum voluntatis arbitrium.

Prob. I. ex Script. Ecclesiastici enim capite XXXI. 8. et seqq. homo non tantum

iustus, sed etiam praedestinatus describitur; de quo inter alia hoc praedicatur, quod libertate bene usus sit: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit.* Ergo praedestinatio liberum voluntatis arbitrium non destruit. Praeterea Apostolus, quum scribat se ideo laborare, ut electi aeternam vitam adipiscantur, electos operibus suis, quae libera voluntate efficiunt, finem ultimum adsequi profecto demonstrat; aliter enim inutilis esset, ac superfluus labor. Haec sunt Pauli verba: *Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Iesu cum gloria coelesti.* II. Tim. II. 10. Ergo liberum arbitrium non excludit aeterna Dei praedestinatio. At veritatem hanc probat tota scriptura, quanta quanta est. In ea namque passim occurrunt praecepta, monita, obiurgationes, consilia, exhortationes, exempla ad id, quod rectum est faciendum, et ad malum vitandum, ut vitam aeternam consequi valeamus; quae omnia nullum prorsus usum haberent, si praede-

stinati libertate carerent. Ergo praedes libertatem non adimit.

Prob. II. Tradit. Augustinus illoru rorem refutans, qui praedestinationis d nam ideo reiiciebant, quod verbi divini dicationi adversari opinarentur; Dei a praedestinatione liberum voluntatis arb. non destrui etiam demonstrat. De don severantiae cap. XIV. XV. XVI. Pau verba brevitatis causa referamus: *Nu quia dixit* (Paulus): Deus est qui c tur in nobis et velle, et operari pro voluntate *; ideo non ipse et ut velimus Deo placeant, et ut operemur hortatu. aut quia dixit:* Qui in vobis bonum coepit, perficiet usque in diem Christi *ideo, ut inciperent homines et perse rent usque in finem, ipse non suasit? pe. ipse Dominus hominibus praecep crederent, atque ait*: Credite in Deu in me credite; *nec tamen ideo eius sententia est, nec vana definitio, ubi* Nemo venit ad me, *id est nemo cre me*, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

rursus quia vera est haec definitio, ideo vana est illa praeceptio. l. c. n. 34. Quod etiam docet Bernardus, qui locum hunc Apostoli explicans; *Sed firmum fundamendum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt eius; et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini*; II. Tim. II. 19. liberae voluntatis cum praedestinatione concordiam his verbis expressam notat: *Geminum signaculum, divinum propositum, et humanum studium: divina providentia et humana diligentia. Nam de diligentia subdit Apostolus*: Et discedat ab iniquitate etc. Serm. XXX. in Cantic. n. 7. Dogma hoc, de quo agimus, demonstrat quoque Anselmus in libro *De concordia praedestinationis cum libero arbitrio.* Idem confirmant omnia illa Patrum testimonia, quae Dei praescientia aeterna, atque certissima libertatem non excludi ostendunt; quod enim de praescientia Dei dicitur, hoc ipsum de praedestinatione dicendum nemo non videt. Sed huiusmodi testimonia in Tractatu de Deo referentur.

Prob. III. rat. Theologica. Si enim idem senseris quod quidam Theologi, praedestinationem scilicet praevisis meritis per gratiam comparatis fieri, cum ipsa liberum arbitrium nullo negotio conciliabis; tunc enim in mente divina prior erit (illa, quam dicunt, *prioritate naturae*) libertas, posterior praedestinatio. Si vero alia omnia senseris, tunc ea ratione cum praedestinatione libertatem coniunges, quod aeterna Dei praedestinatio non modo rem ipsam, gloriae nempe adeptionem, sed etiam rei modum respicit. Atqui Deus vult, ut praedestinati non solum gloriam adipiscantur, sed etiam libere adipiscantur. Ergo Dei voluntas, quae frustrari non potest, sicut efficit ut electi salutem certissime consequantur, ita quoque efficit ut libere consequantur.

Obiic. Aliqua Scripturae testimonia liberum arbitrium praedestinatione adimi aperte confirmant; dicunt enim electos errare non posse, nec omnino de Christi manu posse rapi: *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Matth. XXIV. 24. *Et*

non rapiet eas quisquam de manu mea .... et nemo potest rapere de manu patris mei. Ioan. X. 28. 29. Ergo praedestinati libero arbitrio carent.

Resp. Id quod absolute fieri non potest, liberum arbitrium delet, non vero id, quod sub aliqua tantum conditione accidere nequit. Ego certe quidem liber sum, etiamsi eo tempore, quo aliquid volo, illud ipsum non velle nequeo. Si ergo absolute loquamur, et errare et peccare ita ut in peccato moriatur potest electus: at posita praedestinatione nec unum nec alterum potest quia nec unum, nec alterum vult; quae quidem volitio libera est; Deus enim praedestinatione sua non modo ut velit, sed ut libere velit efficere potest, quemadmodum animadvertimus.

P r o p. V.

Nemo reprobatur, qui aeternam poenam non promereatur.

Prob. I. Ex Scripturis, quae Deum mor-

tem non fecisse; nihilque eorum, quae fecit, odio prosequi; nec ipsum perditionis Auctorem esse, sed impios; adserunt. *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. Creavit enim ut essent omnia: et sanabiles fecit nationes orbis terrarum: et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum Regnum in terra. Iustitia enim perpetua est et immortalis. Impii autem manibus, et verbis accersierunt illam: et aestimantes illam amicam defluxerunt, et sponsiones posuerunt ad illam; quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.* Sap. I. 13. et seqq. *Diligis omnia, quae sunt; et nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Sap. XII. 25. *Perditio tua* (nempe est) *Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Osee. XIII. 9. Praeterea veritatem, de qua verba facimus, enunciat Scriptura, ubi ait: *Quum ergo sis iustus* (o Deus) *iuste omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum aestimas a tua virtute. Virtus*

enim tua iustitiae initium est. Sap. XII. 15. 16.

Hoc ipsum dogma ex illis Scripturae locis enascitur, quibus Deum peccatum infinito odio prosequi ostenditur, ut e. g. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Psalm. V. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Ibid. 7. *Odio sunt Deo impius, et impietas eius.* Sap. XIV. 9. Errorem denique Calvini, qui Deum non solum nudo arbitrio ad poenam praedestinare, sed etiam huius praedestinationis vi homines ad quodvis peccatum impellere, atque urgere impie adserebat, aperte damnant hae Scripturarum sententiae: *Nemini mandavit* (Dominus) *impie agere, et nemini dedit spatium peccandi.* Eccli. XV. 21. *Nemo quum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat.* Iacob. I. 13.

Probatur II. ex Traditione, quam pluribus in locis contestatur Augustinus: unde pauca ex more delibabimus. Sane is praedestinationis, et reprobationis causam docens,

haec scribit : *Bonus est Deus , i*
Deus : potest aliquos sine bonis n
berare , quia bonus est ; non pote
quam sine malis meritis damnar
iustus est. Lib. III. contra Iulian
XVIII. n. 35. Tum de Dei ius
loquitur : *Quemquam vero imn*
et nulli peccato obnoxium si De
nare creditur , alienus ab iniqui
creditur. Epist. CLXXXVI. n. 2
terea ipsemet Augustinus Angel
hominem a Deo bona voluntate in
instructum fuisse , et adiutorio
roboratum , *sine quo in ea p*
non posset , si vellet , ea ratione
strat , quod aliter Deus Angelum ,
minem in ea bona voluntate sine
pa non perseverantem damnare no
set : *Si autem ,* inquit, *hoc adiuto*
Angelo , vel homini , quum prim
sunt , defuisset ; quoniam non tal
facta erat , ut sine divino adiutor
manere , si vellet , non utique su
cecidissent : adiutorium quippe d

sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam poena peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. Lib. de Corrept. et Grat. cap. XI. n. 32. Eamdem doctrinam tradit S. Prosper his verbis: *Omnium quidem hominum Deus Creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret: quia alia est causa nascendi, et alia est causa pereundi. Ut enim nascantur homines, Conditoris est beneficium; ut autem pereant, praevaricatoris est meritum.* Resp. ad Obiect. Vinc. 3. Nec non ita confirmat Fulgentius: *Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus eius utique non est. Quod autem nunquam est in opere eius, nunquam fuit in praedestinatione eius. Non ergo praedestinati sunt mali ad hoc, quod male operantur, a concupiscentia sua abstracti, et illecti; sed ad hoc, quod iuste patiuntur inviti. Praedestinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanae coactitia necessitas exprimitur,*

sed misericors et iusta futuri operis divini sempiterna dispositio praedicatur. Deo autem misericordiam, et iudicium cantat Ecclesia, cuius hoc opus est in homine, ut occulto voluntatis suae, non tamen iniusto consilio, aut gratuitam misericordiam praeroget misero, aut debitam iustitiam rependat iniusto. Immo aut misericorditer debitori donet, quod si vellet, iuste posset exigere: aut iuste cum usuris quod suum est exigat, et iniquo debitori, quod debetur iniquitatibus, reddat. Lib. I. ad Monimum cap. VI. et VII. Quibus consentit Gregorius: *Si ergo et electi praevenientem se gratiam sequuntur, et reprobi iuxta quod merentur accipiunt: et de misericordia inveniunt electi, quod laudent, et de iustitia non habent reprobi, quod accusent. Bene itaque dicitur:* Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? *Ac si aperte diceretur: ad parcendum reprobis nulla ratione compellor; quia eis debitor ex sua ratione non teneor.* Mor. Lib. XXXIII. in cap. XIII. Iob.

Dogma hoc etiam declaravit Concilium Valentinum his verbis: *Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum; in damnatione vero periturorum, malum meritum praecedere Dei iudicium iustum.* cap. III. Nec non Arausicana Synodus II. Can. ult. *Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus; sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Tridentina vero Calvini commentum aperte damnavit Can. VI. de Iustificat. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli; anathema sit.* Et Can. XVII. *Si quis iustificationis gratiam non nisi praedestinatis ad vitam contingere di-*

xerit; reliquos vero omnes, qui vocan
cari quidem, sed gratiam non accip
pote divina potestate praedestinatos
lum; anathema sit. Totum porro hoc
licae fidei dogma sic exponit Florus: *E*
Catholicae fides. . . . . ita nobis firmis
nendum insinuat: videlicet Omnip
Deum in malis ipsorum malitian
scisse, quia ex ipsis est; non
stinasse, quia ex illo non est:
vero eorum et praescisse, quia De
et praedestinasse, quia iustus est
illis sit meritum suae damnationis
illo potestas, et iudicium iuste dan
Non enim praedestinat Deus, ni
ipse facturus est: praescit vero mult
ipse facturus non est, sicut omnic
In serm. quem Operi suo de Prae
praemittit Hincmarus.

OBIECTA DILUUNTUR

Obiic. I. Multa Sacri libri dicur
bus Calvini doctrina de Reprobatio

firmari videtur, ut e. g. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus ; impium quoque ad diem malum.* Prov. XVI. 4. *Ego indurabo cor eius.* Exod. VII. 3. *Nemo potest corrigere, quem ille despexerit*; Hebr. את אשר עותו, *quem depravaverit ipse.* Eccle. VII. 14. *Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude ; ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Isai. VI. 10.

Resp. Obiecta loca, atque alia his similia facillime explicantur illa Anselmi sententia: *Deus mala, quae non facit, dicitur facere, quia permittit. Nam dicitur hominem indurare, quum non emollit, ac inducere in tentationem, quum non liberat.* De Concordia Praedestinat. cum libero arbitrio cap. II. Nec dissimili ratione *depravare* dicitur Deus, quum depravationem non aufert, *excaecare,* quum lumen non adfert. Quid ergo his locis cum Calvini doctrina commune? Nihil prorsus, ut quisque videt.

Obiic. II. Deus peccata etiam consilio, et praescientia sua definivit, ac decrevit, ut ex hoc Scripturae loco patet: *Hunc* (Iesum) *definito consilio, et praescientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis.* Actor. II. 23. Et ex alio loco: *Convenerunt enim vere in Civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus, et populis Israel, facere quae manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.* Actor. IV. 27. 28. Ergo etc.

Resp. Deus Filii sui Sacrificium, quo humanum genus redimeretur, decreto suo voluit, non vero Iudae proditionem, Herodis, Pilati, Iudaeorumque iniustitiam, quam tantum permisit. Egregie sic rem explicat Augustinus: *Ecce quanta nobis praestat Deus de malis hominibus, nec tamen secundum id, quod de illis nobis praestat, sed secundum malitiam eorum retribuet eis. Videte enim, quanta nobis praestitit de ipso immanissimo scelere Iudae traditoris. Iudas quippe tradi-*

dit ad passionem Filium Dei, et per passionem Filii Dei omnes gentes redemptae sunt ad salutem, nec tunc pro salute gentium merces reddita est Iudae, sed pro eius malitia debitum supplicium ei retributum est. Nam si traditor Christi, et non tradentis animus considerandus est, hoc fecit Iudas, quod fecit Deus Pater, de quo scriptum est, quia Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. *Hoc fecit Iudas, quod fecit ipse Dominus Christus, de quo scriptum est*: Qui seipsum tradidit pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis: *Et iterum*: Sic Christus, *inquit*, dilexit Ecclesiam suam, et seipsum tradidit pro ea. *Et tamen gratias agimus Deo Patri, qui unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit eum. Gratias agimus Filio, qui seipsum tradidit pro nobis; et in eo voluntatem Patris implevit. Et detestamur Iudam, de cuius facto nobis tantum beneficium praestitit Deus, et recte dicimus:* Reddidit ei Dominus secundum iniquitatem

eius, et secundum malitiam eius disperdidit eum. Enarrat. in Psalm. XCIII.

CAPUT IV.

Ex iam demonstratis propositionibus Corollaria quaedam deducuntur.

Dogmate Catholico circa Sanctorum praedestinationem, impiorumque reprobationem constabilito, age nunc ad quaedam corollaria ex iam demonstratis propositionibus deducenda gradum faciamus.

COROLLARIUM I.

§. I. Ac primum ex praedestinationis aeternae firmitate illud sequitur, praedestinatos habere exemplar, et effectus, sive auxilia, quibus aeternam vitam omnino adsequantur. Quae quidem per haec verba describit Apostolus: *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt*

Sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit. Rom. VIII. 28. et seqq. Ex his autem Apostoli verbis primo patet, Christum Dei Filium praeclarissimum esse praedestinatorum Exemplar. Quare de eo ita loquitur Augustinus: *Est etiam praeclarissimum lumen praedestinationis, et gratiae ipse Salvator, ipse Mediator Dei, et hominum Christus Iesus..... Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiae, unde secundum uniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu et hic renatus, de quo est ille natus; eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum. Haec se Deus esse facturum*

profecto praescivit. Ipsa est igitur praedestinatio Sanctorum, quae in Sancto sanctorum maxime claruit: quam negare quis potest recte intelligentium eloquia veritatis? De Praedest. SS. cap. XV. n. 30. et 31. Et alibi, *Nullum autem*, ait, *est illustrius praedestinationis exemplum, quam ipse Jesus...... Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem iustum, qui nunquam esset iniustus, sine ullo merito praecedentis voluntatis eius; ipse ex iniustis facit iustos, sine ullo merito praecedentis voluntatis ipsorum, ut ille caput, hi membra sint eius. Qui ergo fecit illum hominem, sine ullis eius praecedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum; ipse nullis eorum praecedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum: qui fecit illum talem, ut nunquam habuerit, habiturusque sit voluntatem malam; ipse facit in membris eius ex mala voluntate bonam. Et illum ergo, et nos praedestinavit; quia*

et in illo ut esset caput nostrum, et in nobis ut eius corpus essemus, non praecessura merita nostra, sed opera sua futura praescivit. De Dono Persev. cap. XXVI. n. 67.

§. II. Deinde ex eodem Apostoli loco patet tres esse praedestinationis effectus, Vocationem (1), Iustificationem, et Glorificationem. Vocationis autem nomine dona illa omnia, quibus ut electi credant efficit Deus,

---

(1) Non quamlibet vocationem, sed eam tantum, quae ab Augustino appellatur *secundum propositum*, hic nominat Apostolus; alia enim vocatio legitur in Scripturis, quae ad reprobos etiam pertinet, ut Matth. Cap. XX. v. 16. *Multi sunt vocati; pauci vero electi.* De hac vocatione, quae praedestinatorum tantummodo est, ita loquitur Augustinus: *Quos praedestinavit, ipsos et vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum; non ergo alios.* De Praedest. SS. c. XVII. n. 34. Et alibi inquit: *Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt: propositum autem, non suum, sed Dei.* De Corrept. et Grat. c. VII. n. 14.

significare voluit Paulus. Iustificat
tem tum iustitiae adeptionem, tu
profectum, ac perseverantiam comp
Nam etsi electi quoque iustitiam
possint, illam tamen recuperabunt,
illius possessione constituti e praes
migrabunt: peccatum vero ipsum i
utilitatem vertetur, ut mox anim
mus. Glorificatio denique est animi
risque perfecta beatitudo. Atque h
fectus *beneficia*, *quibus certissim*
rantur, quicunque liberantur, appel
gustinus; liberatio enim perfecta n
universali resurrectione locum habel
Apost. ad Rom. VIII. 21. et seqq.
porro effectus omnes gratiae vocabu
prehendit ipsemet Augustinus, ubi ai
destinatio Dei, quae in bono est, gra
ut dixi, praeparatio; *gratia vero i*
donatio; ipsamque aeternam vitam
appellari posse dicit his verbis: (
ergo meritum hominis ante gratia
merito percipiat gratiam, *quum o*
num meritum nostrum non in nobi

nisi gratia?....... Unde et ipsa vita aeterna, quae utique in fine sine fine habebitur, et ideo meritis praecedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita, quibus datur. Ubi autem invenimus etiam vitam aeternam gratiam nuncupari, habemus apud eumdem gratiae magnificum defensorem Apostolum Paulum: Stipendium, *inquit,* peccati mors est; gratia autem Dei vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro. Epist. CXCIV. n. 19.

§. III. Praeterea Dei gratia adiuti non solum huius vitae bonis, sed malis quoque ad aeternam salutem sibi comparandam utuntur electi: quod innuere videtur idem Apostolus, quum ait: *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Nec non ipsa peccati permissio ad

hunc finem obtinendum a Deo summe bono dirigitur, quemadmodum notant Patres. Et sane inquit Basilius: *Id scire operae pretium est, contingere saepe piorum delicta, divina Providentia ita dispensante, ad eorum utilitatem. Deus enim labi eos aliquando permittit ad sanandam priorem quamdam animi elationem.* Interrogat. LXXXI. Tom. II. p. 444. Edit. Maurin. Augustinus vero ita ait: *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; usque adeo prorsus omnia, ut etiamsi qui eorum deviant, et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores. Discunt enim in ipsa via iusta cum tremore se exsultare debere, non sibi arrogando tamquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua:* Non movebimur in aeternum. *Propter quod eis dicitur:* Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta. De Corrept. et Grat. Cap. IX. n. 24. Bernardus deni-

que hoc ipsum pro certo exploratoque habet, quum scribit: *Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, unde et humiliores efficimur, et cautiores?* Serm. II. in Psalm. 90.

COROLLARIUM II.

§. I. Ex altera vero propositione, quae praedestinatorum numerum in Dei praescientia certum esse ac definitum ostendit, Deo soli cognitum esse praedestinatorum numerum inferre licet. Quidam ex Patribus ex coniectura, praedestinatos homines tot esse adseruerunt, vel quot fuerunt Angeli reprobi, ut Anselmus Lib. I. *Cur Deus homo*, Cap. XVI; vel quot Angeli perseverarunt, ut Gregorius Hom. XXXIV. in Evangel.; vel quot Angeli peccarunt, et quot omnino a Deo creati fuerint Angeli, simul sumpti. Haec autem prorsus comperta sunt: I. Electorum numerum, si absolute loquaris, maximum fore, ut aperte significat Scriptura illo loco: *Post haec vidi turbam magnam, quam dinu-*

merare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum. Apocalyp. VII. 9. II. Si Electos cum reprobis comparare velis, longe maiorem exstiturum reproborum numerum. Vel enim totius hominum generis reprobos simul comprehendas, vel eos tantum consideres, qui ex Catholicis pereunt; in utroque casu reprobi praedestinatos numero superabunt. Ab initio enim Mundi usque ad Abrahae vocationem pauci admodum fuerunt praedestinati, ut satis constat; a vocatione vero Abrahae usque ad Christi mortem inter solos fere Hebraeos, quorum natio minima erat in orbe terrarum, electi inveniebantur; post Christi vero adventum, licet nationes omnes vera Religio pervaserit, Hebraeis tamen, Gentilibus, Mahumetanis, Haereticis, Deistis simul sumptis minores sunt Catholici. De Catholicis autem a Domino dictum esse aiunt Chrysostomus Hom. XXIV. in Act. Apostol. Augustinus Contra Cresco-

nium Lib. III. cap. LXXVI. Gregorius Magnus Hom. XIX. in Evang. atque alii: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Matth. XXII. 14. Catholicis quoque illam Christi adhortationem repetere consuevit Ecclesia: *Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* Matth. VII. 13. et seqq.

§. II. Electorum paucitatem etiam inter catholicos docent Patres, quorum aliqua testimonia in medium proferemus. Origenes: *Si quis considerat multitudinem hominum, quae in Ecclesiis congregatur, et discusserit quanti sint, qui conversantur disciplinate, et reformantur novitate sensus sui, quanti autem negligentissime conversantes configurantur saeculo huic; videbit quia verus est sermo Domini dicens:* Multi vocati, pauci vero electi. Tractat. XX. in Ioan. Et Chrysostomus: *Quot putatis in urbe nostra esse, qui salutem consequentur? Molestum quidem*

est quod dicturus sum; dicam tamen: in tot millibus non sunt centum, qui salutem consequantur; sed de illis etiam dubito. Quanta, quaeso, nequitia in adolescentibus, quanta desidia in senioribus? etc. Hom. XXIV. in Act. Apost. n. 4. Nec non Augustinus: *Qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Lib. III. cont. Crescon. Cap. LXVI. Idemque: *Non possumus negare plures esse malos, et tam plures, ut inter eos boni prorsus non appareant, quomodo non apparent grana in area.* In Psal. XLVII. n. 9. Tum Hieronymus: *Duas certe conversationis vias, et distincta in diversum itinera vivendi Salvator in Evangelio ostendit.* Quam, *inquit*, spatiosa via, quae ducit ad mortem, et multi sunt, qui intrant per eam: *et rursum:* Quam arcta via, et angusta, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam..... *Illa celebratur, et teritur a multis, haec vix invenitur a paucis.*

Epist. ad Celant. Et Gregorius: *In Ecclesia et multi mali, et pauci sunt boni.* Hom. XXXVIII. in Evang. Demum Beda: *Ad fidem multi veniunt, ad coeleste regnum pauci perducuntur.* In cap. XX. Matth.

§. III. Eamdem doctrinam confirmat ratio Theologica. Ad salutem enim aeternam obtinendam haec quidem, non alia, ducunt, ut Evangelium ostendit; nempe mandatorum divinorum observatio: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. XIX. 17. morum innocentia, qualis in parvulis: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in Regnum coelorum.* Matth. XVIII. 3. cupiditatum temperatio: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Matth. XI. 12. Christi cruci affixi imitatio: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.* Matth. X. 38. Atqui haec non praestant, nisi admodum pauci ex ipsis Catholicis. Ergo etiam inter Catholicos reproborum numerus maior est, quam praedestinatorum. Nihil igitur mirum, quod ele-

etorum paucitati adcommodentur
tiones illae Isaiae : *Et erit sicut*
gans in messe quod restiterit, et
eius spicas leget : et erit sicut qua
cas in valle Raphaim. Et relinqu
sicut racemus, et sicut excussio o
rum, vel trium olivarum in sumn
mi, sive quatuor, aut quinque
minibus eius fructus eius : dicit
Deus Israel. cap. XVII. 5. 6.
si paucae olivae, quae remanser
cutiantur ex olea; et racemi, qu
finita vindemia. Ibid. c. XXIV.
autem praedestinatis longe plures e
los permittat Deus, non est nimis c
vestigandum. *Quare sint illi pl*
Augustinus, *quam illi, consilium*
nosse multorum est; nosse autem
cissimorum hominum, vel omni
rum. Lib. II. Operis imperf. cont
cap. CXLII. Et alibi : *Quid sit,*
placet ut nascantur, crescant, a
plicentur (reprobi), *nimis consi*
in abdito est. Epist. CXLIX. n.

§. IV. Aliquas tamen rationes maioris reproborum numeri proponit ipse Augustinus, quarum consideratio non parum utilitatis electis affert. Illas igitur breviter percurramus. I. Ex magna reproborum multitudine discunt praedestinati, quid valeat sine gratia liberum voluntatis arbitrium; et quam grati esse debeant erga Deum salutis eorum auctorem, qui benevolus ac misericors ipsos e supplicio tam iusto, ac debito gratuite eripuerit. *Ceteri autem homines*, sic ratiocinatur Augustinus; *ad istam* (Praedestinatorum) *societatem non pertinentes....propter hoc a Deo praesciente creati sunt, ut in his ostenderet liberum desertoris arbitrium sine sua gratia quid valeret; et in eorum iustis et debitis poenis vasa misericordiae, quae, non suorum operum meritis, sed gratuita Dei gratia sunt ab illa concretione discreta, quid sibi collatum esset addiscerent; ut omne os obstruatur, et qui gloriatur, in Domino glorietur.* Epist. CLXXXVI. n. 26. Quod etiam alibi repetit. *Non enim*, inquit, *debita, sed gratuita*

bonitate tunc se quisque agnoscit erutum a malis, quum ab eorum hominum consortio sit immunis, cum quibus illi iusta esset poena communis. De Civit. Dei Lib. XIV. Cap. XXVI. *Quis igitur*, cum eodem Doctore concludendum, *usque adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiae, quos voluit, liberantis, qui recte nullo modo posset culpare iustitiam universos omnino damnantis?* Lib. De Natura et Grat. Cap. V.

II. Aliam huius rei rationem addit Augustinus, ubi ait: *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum: omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.* Enarrat. in Psal. LIV. n. 4. Quamobrem ex ingenti reproborum numero illud discunt electi, sibi nempe cavendum, ne multitudinis exempla moresque sequantur, iuxta illud Apostoli monitum: *Imitatores mei estote, Fratres, et observate, eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos saepe*

dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus. Philipp. III. 17. et seq.

COROLLARIUM III.

§. I. Ex dogmate, quod ultimo loco demonstravimus, sequitur reprobationis causam in iis, qui Baptismi Sacramento non renascuntur, esse Adae peccatum vel solum, ut in parvulis, vel cum propriis seu actualibus coniunctum, ut in adultis; in baptizatis vero actualia peccata, quibus inquinati ex hac vita excedunt (1). De originali peccato, prout

(1) Reprobationem in negativam, et positivam dividunt Theologi. Negativam appellant Dei decretum, quo aliquibus a gloria exclusis negantur auxilia, quibus iusti fiant, vel in iustitia perseverent; positivam vero Dei decretum, quo peccatoribus poena eorum peccatis debita constituitur.

Negativae reprobationis causam, non praevisam culpam, sed meram Dei voluntatem, qui nemini gloriam et gratiam dare tenetur, constituunt Theo-

est reprobationis causa in iis, qui non sunt Baptismo abluti, loquitur Apostolus, quum scribit: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Rom. IX. 21. *Haec enim massa generis humani*, inquit Augustinus, *si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.* Epist. CLXXXVI,

---

logorum nonnulli: sed iniuria, ni fallor; negativa namque reprobatio a positiva verbis tantum, non re distinguitur. Disputant etiam Theologi, utrum originis peccatum etiam in baptizatis sit reprobationis causa, an tantum in iis, qui sine Baptismo moriuntur. Non desunt, qui adultos baptismo purgatos ob originis peccatum reprobari contendant; licet enim illud Baptisma delevit, remanet tamen concupiscentia (ita ratiocinantur, meo quidem iudicio, nimis minuta subtilitate) quae sine efficacibus auxiliis non coercetur, haec autem auxilia in illius peccati poenam a Deo denegantur.

n. 18. Ad hanc ipsam massam respicit idem Apostolus de Iacob, et Esau scribens: *Quum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccae) *quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: miserebor cuius misereor, et misericordiam praestabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Rom. IX. 11 et seqq. Haec enim verba explicans Augustinus, inter alia sic animadvertit: ***Quis namque nisi insipiens Deum iniquum putat, sive iudicium poenale ingerat digno, sive misericordiam praestet indigno? Denique infert, et dicit:*** Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. ***Ambo itaque gemini natura filii irae nascebantur, nulus quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo***

damnationis obstricti. Sed qui dixit: Miserebor cui misertus ero, et misericordiam praestabo cui misericors fuero, *Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per iudicium debitum, Quod quum deberetur ambobus, in altero alter agnovit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de divinae gratiae largitate, quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Enchirid. Cap. XCVIII. Eadem doctrina traditur ab Episcopis Africae, in Sardinia propter fidem exulibus, qui in Epistola Synodica sic scribunt: *Iacob per misericordiam gratuitam eligitur; Esau autem originali peccato detentus iusto iudicio Dei est odio habitus.* n. 7. In iis vero, in quibus peccatum originale delevit baptisma, alia omnino videtur ponenda reprobationis causa: *Nihil enim nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Rom. VIII, 1. quod quidem de baptizatis ab Apostolo dictum docet Tridentina Synodus: *Si quis*

per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatus originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem; qui non secundum carnem ambulant, sed, veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Decret. de peccato originali n. 5. Nec dici posse videtur in baptizatis reprobationis causam esse peccatum originale propter concupiscentiam, quae in ipsis remanet; haec enim peccati rationem proprie non habet, ut eadem Synodus definivit: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem,*

haec Sancta Synodus fatetur et sentit: quae, quum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus, non valet: quin imo qui legitime certaverit coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit; anathema sit.

CAPUT V.

Variae Theologorum Opiniones circa Sanctorum praedestinationem edisseruntur.

§. I. Quae hucusque de Sanctorum electione, ac reproborum damnatione enucleavimus, ad Catholicae Fidei dogmata pertinent, vel ex iis aperte deducuntur. Illa deinceps prosequemur, quae salva fide inter

Theologos hac in materia disputantur. Primaria, ac omnium celebratissima ea disputatio est, utrum *post*, vel *ante praevisa merita* gratiae auxilio comparanda Sanctos elegerit Deus. Illi enim, qui Molinae sententiam tenent, sanctos aiunt, post eorum merita praevisa, a Deo ad gloriam praedestinari; ita ut merita sint praedestinationis causa; et ideo aliqui homines ad aeternam vitam eligantur divina praedestinatione, quod merita ipsorum praescientia divina praevideantur. Qui vero in alia omnia abeunt, sanctos, nullis eorum meritis praevisis, ad gloriam eligi adfirmant; ita ut praedestinatio sit meritorum causa, et ideo sancti meritis cumulentur, quod praedestinati fuerint. Rationes, quibus utramque sententiam eius fautores demonstrare conantur, breviter exponemus.

§. II. Haec sunt praecipua Scripturarum testimonia, quibus suam praedestinationis explicandae methodum confirmari contendunt Molinistae. Christus ipse, inquiunt primo, Matth. XXV. 34. recitatis verbis, quibus

in extremo iudicio electos alloquetur : *Venite benedicti Patris mei , possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi* , hanc adfert ipsorum praedestinationis rationem : *Esurivi enim , et dedistis mihi manducare : sitivi , et dedistis mihi bibere: hospes eram , et collegistis me : nudus , et cooperuistis me : infirmus , et visitastis me ; etc.* Ibidem 35. et 36. Ergo sanctis , non nisi praevisis meritis, paratum fuit Regnum. Illam deinde sententiam proferunt Apostoli , qua declaratur Dei bonitate usuros , qui vitae probitate illam promeriti fuerint ; quum vitae bonitas Dei bonitatem provocet : *Vide ergo bonitatem , et severitatem Dei : in eos quidem , qui ceciderunt , severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate , alioquin et tu excideris.* Rom. XI. 22. Praeterea Apostolorum Principem bonorum operum merita ut praedestinationis causam praedicare arbitrantur, quum ita omnes exhortatur : *Quapropter , fratres , magis satagite , ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem*

faciatis. II. Petr. I. 10. Denique maxime comprobari suam sententiam iis Pauli locis pronunciant, ex quibus discimus omnium hominum salutem Deum velle, nimirum: *Qui* (Deus) *omnes homines vult salvos fieri......... Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* I. Timoth. II. 4 et 6. *Qui est Salvator omnium hominum* Ibidem, IV. 10. Quod etiam docet Petrus his verbis: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* II. Pet. III. 9. Si enim Deus ante praevisa merita quosdam ad aeternam vitam praedestinaret, ceterorum salutem vere, et efficienter non vellet.

§. III. Veterem insuper aiunt Molinae discipuli hanc ipsam fuisse opinionem, quam scilicet sancti Ecclesiae Patres habuerunt. Ita enim opinatus est Irenaeus: *Deus autem omnia* (bona nempe et mala hominum merita) *praesciens utrisque aptas praeparavit habitationes, eis quidem, qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, et ad id recurrunt, benigne donans hoc quod con-*

cupiscunt lumen : aliis vero id contemnentibus , et avertentibus se ab eo , et id fugientibus , et quasi semetipsos excaecantibus , congruentes lumini adversantibus praeparavit tenebras , et his , qui fugiunt ei esse subiecti, convenientem subdidit poenam. Advers. Haeres. Lib. IV. cap LXXVI. Ita etiam censuit Origenes : *Denique et ipse* (Apostolus) *in consequentibus latius disserens ait*: Quia quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui : *evidenter ostendens, quod eos quos praescivit Deus tales futuros , ut Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis eius praedestinavit, et gloriae. Praecedit ergo praescientia Dei , per quam noscuntur , qui in se labores , et virtutes habituri sint , et ita praedestinatio sequitur.* In Cap. VIII. Epist. ad Rom. Nec aliter sentit Cyrillus Alex: qui verba Christi ad filios Zebedaei Matth. XX. 23. ita explicat : *Non est meum dare supremum honorem vobis petentibus , qui reservatus est in praescientia Patris illis,*

quos excessus certandi commendabit. Thesaur. Lib. X. cap. V. Eodem sensu scribit Theodoretus dum ait: *Quorum propositum praescivit, eos ab initio praedestinavit.* In Cap. VIII. ad Rom. v. 30. Cum his concinunt Ambrosius, Hieronymus, et Hilarius. Alter enim illa Christi verba: Non est meum dare vobis. Matth. XX. ita explicat: *Non est meum qui iustitiam servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit:* Quibus paratum est; *ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis; quia Deus personarum acceptor non est. Unde et Apostolus ait,* Quos praescivit et praedestinavit. *Non enim ante praedestinavit, quam praesciret; sed quorum merita praescivit eorum praemia praedestinavit.* Lib. V. de Fide Cap. V. Alter vero haec scribit: *Non salvat irrationabiliter, et absque iudicii veritate, sed causis praecedentibus; quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt.* Hieronymus Epist. CL. ad Hedib. Quaest. X. Hilarius denique ait: *Itaque non res indiscreti iudi-*

cii electio est; sed ex meriti delectu facta discretio est. Beatus ergo quem elegit Deus. Beatus ob id quia electione sit dignus. In Psal. LXIV. In suam quoque sententiam Augustinum trahere conantur; at Petavius ipse, licet eorum partibus faveat, Augustinum tamen contraria omnino incedere via ingenue fatetur, atque pluribus argumentis evidentissime probat Theolog. Dogm. Lib. IX. capp. VI. VII. VIII. Tom. I.

§. IV. Eamdem sententiam iidem Theologi multis rationibus confirmare nituntur; quae omnes, ni fallor, ab hoc uno principio fluere videntur, quod nempe nullis praevisis hominum meritis aliquos tantum ad gloriam praedestinare, ceteros excludere, Deum summe bonum minime deceat: eius contra infinitae bonitati maxime conveniens sit omnes omnino homines velle, quantum in se est, salvos fieri, et ne unum quidem eorum perire.

§. V. Qui vero contrariam sententiam tuentur multa etiam ad eam confirmandam Sacrarum Scripturarum, et Patrum testimonia

adhibent. Primum enim aiunt non meritis praevisis, sed merae voluntati divinae sanctorum praedestinationem in Sacris libris attribui, ut ostendunt illa Christi verba: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Luc. XII. 32. et alibi: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Ioan. XV. 16. Quod planius expressit Apostolus scribens: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae.* Ephes. 1. 5. Et paulo post: *In quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* v. 11. Deinde merita ut praedestinationis effectum, non vero ut causam proponi illis Scripturarum sententiis animadvertunt: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu eius in caritate.* Ephes. I. 4. *Crediderunt quotquot*

erant praeordinati ad vitam aeternam. Act. XIII. 48. *Nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia.* II Timoth. I. 9. Illud postremo omnium argumentorum firmissimum censent, quod exhibet Apostolus, dum haec scribit: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cuius misereor; et misericordiam praestabo cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei..... Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat. Dicis itaque mihi: quid adhuc quaeritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid*

dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Rom. IX. 11. et seqq. Quae verba explicans Augustinus ita loquitur: *Qua in re si futura opera, vel bona huius, vel mala illius, quae Deus utique praesciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, sed diceret, ex futuris operibus, eoque modo istam solveret quaestionem, imo nullam, quam solvi opus esset, faceret quaestionem..... Quis namque, nisi insipiens Deum iniquum putet, sive iudicium poenale ingerat digno, sive misericordiam praestet indigno?..... Miseretur scilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus de suis meritis conqueratur .... Hoc autem qui eo modo audit, ut dicat: quid adhuc quaeritur? nam voluntati eius quis resistit, tamquam propterea malus non videatur esse culpandus, quia Deus cuius*

vult miseretur, et quem vult obdurat : absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum : O homo tu quis es qui respondeas Deo? etc. *Hoc enim loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, et inopia reddendae rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est* : O homo tu quis es? *Et in talibus quaestionibus ad suae capacitatis considerationem revocat hominem verbo quidem brevi, sed reipsa magna est redditio rationis. Si enim non capit haec, quis est qui respondeat Deo? si autem capit, magis non inveniet quid respondeat.* Enchirid. cap. XCVIII.

§. VI. Ad haec Molinae adversarii opinionem suam Patrum sententiis confirmant, praesertim Augustini, eiusque discipulorum Prosperi, et Fulgentii, quorum doctrinam complexus est D. Thomas. Inter Augustini testimonia hoc videtur omnium gravissimum: *Est etiam praeclarissimum lumen praedestinationis, et gratiae, ipse Salvator, ipse*

Mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus; qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei praecedentibus meritis natura humana, quae in illo est, comparavit? Respondeatur quaeso: ille homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem Personae assumptus, Filius Dei Unigenitus esset, unde hoc meruit? quod eius bonum qualecumque praecessit? quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret; nonne faciente, ac suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse coepit, Filus Dei unicus esse coepit?........ Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. De Praedest. SS. cap. XV. n. 30. et seqq. Sed quum tam clara, et aperta sint Augustini testimonia, ut ipsorum Molinistarum celebratissimi id negare non sint ausi, in iis adferendis frustra non immoramur. Nimirum praeter Petavium, quem supra citavimus, doctissimus Suarez id plane fatetur: *Haec*

est sententia D. Thomae; inquit, *et clara D. Augustini.* Lib. II. de causa Praedest. cap. XX. tom. I. Comment. in D. Thom. p. 280. edit. Mogunt. 1620. Ceterorum vero Patrum, qui alia omnia sensisse videntur, testimoniis hanc ipsius Augustini responsionem opponunt: *Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis oriretur non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de Gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, et transeunter attingerent: immorarentur vero in eis, quae adversus inimicos Ecclesiae disputabant.* De Praedest. SS. cap. XIV. n. 27.

§. VII. Non paucas denique rationes ex hoc principio deducunt, quod nempe Deum summe bonum minime dedeceat ex omni hominum genere primi peccati labe infecto, aliquos tantum nullis eorum meritis, sed sola misericordia sua ad gloriam eligere; imo

sapientissimae Dei bonitati maxime conveniat, ut ad hominis superbiam retundendam, humilitatemque fovendam, hac, non alia, via, quos vult, ad gloriam praedestinet.

§. VIII. Ceterum in tanta doctissimorum Theologorum disceptatione, illud firmissime memoria retinendum, quod aperte docuit Augustinus: *Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, verumtamen caveat praecipitium.* Epist. ad Xistum CXCIV. cap. VI. Et alibi: *Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis cur iste assumatur, ille relinquatur: et ex duobus aetate iam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex praedestinatis, illum non esse.* De Dono

Persever. cap. IX. n. 21. Et paulo post: *Itaque misericordiam eius in his, qui liberantur, et veritatem in his, qui puniuntur, sine dubitatione credamus: neque inscrutabilia scrutare, neque investigabilia vestigare conemur. Ex ore quippe infantium, et lactentium suam perfecit laudem: ut quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla praecedunt, et in his, quorum damnationem utrisque communia originalia sola praecedunt; hoc et in maioribus fieri nequaquam omnino cunctemur, idest, non putantes, vel secundum sua merita gratiam cuiquam dari, vel nisi suis meritis quemquam puniri, sive pares, qui liberantur, atque puniuntur, sive dispares habeant causas malas.* Ibid. cap. XI. n. 25. Et capite proximo: *Sed quare illos potius, quam illos? iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget*: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo (1)? Inscrutabilia sunt iudicia eius, et

(1) Rom. IX. 20.

investigabiles viae eius (2). *Et hoc adiiciamus*: Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (3). Ibid. n. 39.

(2) Rom. XI. 33.
(3) Eccli. III. 22.

DE GRATIA.

INDEX

Auctorum qui de Gratiae dogmate utiliter consuli possunt.

S. Iustini Martyris Dialogus cum Tryphone.

S. Irenaei III. IV. Adversus Haeres.

Tertullianus de Testimonio Animae.

S. Cypriani Epist. ad Fidum, item Epist. ad Donatum, et Lib. de Oratione Dominica.

S. Basilius de Libero Arbitrio.

S. Gregorii Nazianzeni Oratio XXXI.

S. Ioannis Chrysostomi demonstratio *Quod Christus sit Deus;* item Homiliae XIV. XVIII. et XIX. in Epist. ad Romanos. XII. in I. ad Corinthios, III. in Epist. ad Ephesios, XIV. et LXXII. in Ioan.

S. Ambrosius de Paradiso, et Lib. II. de Abraham Patriarcha.

Epistola S. Innocentii Papae ad Concilium Carthaginiense.

S. Augustini Libri XII. contra Iulianum; Libri omnes contra Pelagianos, et Semipelagianos; in primis de Natura et Gratia, de Gratia Christi, de Gratia et Libero Arbitrio, de Correptione et Gratia, de Praedestinatione SS., de Dono Perseverantiae; deinde vero Libri de peccato Originali, de Peccatorum Meritis et Remissione, de Nuptiis et Concupiscentia; praeterea Sermo CCXCIV., quatuor Libri ad Bonifacium, Enchiridion, Epist. ad Sixtum, Tractatus in Ioannem, de Spiritu et Littera, de Perfectione Iustitiae, de Gratia Pelagii.

Epistola S. Caelestini Papae ad Galliarum Episcopos.

S. Prosperi Liber contra Collatorem, Carmen de Ingratis, Epist. ad Rufinum.

Libri de Vocatione Gentium, et Epis. ad Demetriadem Virginem.

S. Fulgentius de Fide ad Petrum Diaconum, de Incarnatione et Gratia, de Veritate Praedestinationis, et Gratiae, et I. ad Monimum.

Episcoporum Africanorum in Sardinia pro fide exulantium Epist. Synodica de Gratia Dei et Humano Arbitrio.

Florus Lugdunensis contra Scotum Erigenam.

S. Prudentius Trecensis de Gratia et Libero Arbitrio, contra Scotum Erigenam.

Ratramni Libri de Praedestinatione et Gratia contra Hincmarum.

S. Remigius Lugdunensis in tribus Epistolis: item de Tenenda Veritate Scripturae.

S. Anselmi de Concordia Praedestinationis et Gratiae cum Libero Arbitrio, Liber de Peccato Originali, et Tractatus qui inscribitur; *Cur Deus homo.*

S. Bernardus de Gratia et Libero Arbitrio.

S. Thomae I. II. a Quaest. CVI. usque ad II. II., contra Gentes, Quaestiones Disputatae de Veritate, et Commentaria in Epist. ad Roman. ad Cor. ad Eph.

S. Bonaventura in I. Sententiarum Distinct. XXX.

Thomas Bradwardinus Cantuariensis Episcopus de Causa Contra Pelagium.

Turrianus, De Gratia.

Ludovici Molinae *Concordia Liberi Arbitrii cum Gratia; et Praedestinatione.*

Gabriel Vasquez, Commentarior. in I. Part S. Thomae, Quaestio XXIII.; Commentarior. ac Disputation. in I. secundae S. Thomae, a Disputatione CLXXXV. ad CCXXII.

Estius in Magistrum Sententiarum.

*

Franciscus Suarez, de Divina Gratia; Opuscula Teologica;

Bellarmini Controver. De Gratia primi hominis; De Gratia et Libero Arbitrio; De Iustificatione impii.

Lessius, de Gratia efficaci, Decretis Divinis, Libertate Arbitrii, et Praescientia Dei conditionata.

Lirinus De Meyer, S. Concilii Tridentini circa Gratiam physice praedeterminantem, Dissertationes II. Historia controversiarum de Divinae Gratiae auxiliis; Dissertatio de mente S. Augustini circa Gratiam physice praedeterminantem; Dissertatio item alia de Pelagianorum et Massiliensium contra Fidem erroribus; Responsio ad Librum Henrici a S. Ignatio, cui titulus: *Gratiae per se efficacis sive Augustino-Thomisticae adversus iniustam Iansenismi accusationem iusta defensio.*

Padilla, Tractatus De efficacia Gratiae et motionis divinae circa actus humanos in XLIV. Lectiones divisus.

Lemosius de Laesione Liberi Arbitrii; eiusdem Panoplia; et Liber cui titulus: *Augustinus et Thomas gemini soles.*

Sylvius in Summam S. Thomae.

Petavii Liber de Pelagianorum et Semipelagianorum Dogmatum historia; De Incarnatione Liber XIII.

Contenson de Gratia, item de Externis peccatorum causis et effectibus, et de Variis humanae naturae statibus, in Theolog. ment. et cord.

Bossuet, Traité du Libre Arbitre; Traité de la Concupiscence; ac Operis cui Titulus *Defense de la Tradition* libri postremi.

Liber cui titulus: *S. Thomas sui interpres*, Auctore Massoulié.

Laurentii Berti de Theologicis Disciplinis Lib. XII. et XIII. Tractatus de Gratia, et Systema Augustinianum vindicatum.

CAPUT I.

Gratiae *etymon*, *definitio*, *ac divisio traditur.*

§. I. Universa Dei dona *gratiae* nomine designantur, quia *gratis* dantur; quapropter sic aiebat S. Augustinus: *Quia gratis datur, ideo gratia.* In Psalm. XVIII. Enarrat. II. n.2. Haec autem ipsa Dei dona tum ex parte Dei, tum ex parte nostra considerari possunt. Ex parte Dei *gratiae* nomine intelligitur Dei benignitas, misericordia, liberalitas, qua Deus *gratis* creaturas diligit, eisque dona largitur. Atque hoc sensu, ut unum et alterum exemplum proferam, in-

telligenda verba illa Scripturae: *Noe vero invenit gratiam coram Domino* Gen. VI. atque illa Gabrielis ad Virginem. *Invenisti gratiam apud Deum.* Luc. 1. 30. Ex parte vero nostra gratia dicitur quodcumque Dei beneficium, seu gratuitum donum. Dei autem beneficia, quum vel in ipso Naturae ambitu consideant, vel universo Naturae ordini praestent; etsi omnia *gratiae* nomine appellari possint, proprie tamen quae totum Naturae ordinem supergrediuntur gratiae vocabulo a Theologis nominantur, quo quidem sensu *gratiae* vocabulum in hoc Tractatu usurpatur.

§. II. Quamobrem *gratuitum donum supernaturale ad intuitivam Dei visionem, seu aeternam vitam liberum arbitrium disponens* gratia definiri potest. Nimirum priora illa verba *gratuitum donum* definitionis genus exhibent; siquidem omnia Dei dona gratis concessa, sive ad naturae ordinem pertineant, sive totius naturae finibus excedant, complectuntur: cetera vero differentiam indicant, quoniam *gratiam* intelligimus eam,

quae non est natura, sed qua salvatur natura, ut ait S. Augustinus Ep. CLXXVII. ad Innocentium, n. 7. et quae non intellectum tantummodo afficit, sed liberam quoque voluntatem, eamque ad aeternam vitam disponit: quapropter *gratiam* contra Pelagium definiebat idem S. Augustinus *Adiutorium bene agendi adiunctum naturae, atque doctrinae per inspirationem flagrantissimae, et luminosissimae charitatis.* De Gratia Christi contra Pelag. et Caelest. cap. XXXV. n.38.

§. III. Dividitur autem primo *gratia* in *gratis datam*, et *gratum facientem.* In priori genere ea omnia comprehenduntur quae primario, et per se, non ad eius qui ipsa recipit, sed ad aliorum aeternam salutem procurandam conceduntur: atque eiusmodi sunt illa, quae numerat Apostolus: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii*

genera linguarum, *alii interpretatio sermonum*. I. Cor. XII. 8. et seqq. In altero autem genere ea omnia continentur quae ad eius, cui dantur, aeternam salutem procurandam tribuuntur: quamquam enim non singula statim illum, cui conceduntur, Dei amicum efficiant; ad hoc tamen singula tendunt. Alia enim ad divinam amicitiam disponunt; ut fides, Dei timor, spes, attritio, etc.: alia vero amicitiam ipsam producunt; ut contritio, charitas, peccatorum remissio: alia denique augent confirmantque, ut bona opera hominis iam *iustificati*, perseverantia, ac demum vita aeterna, quae omnium praedictorum terminus est, ideoque gratia vocatur ab Apostolo: *Gratia autem Dei vita aeterna*. Rom. VI. 23. Secundi vero generis gratia dividi solet in *actualem*, et *habitualem*: *actualis*, quae hominem iuvat, quoad bonas actiones vel facere velit, vel facere incipiat, vel perficiat; ideoque gratia *praeveniens* et *excitans*, vel *adiuvans cooperans concomitans*, vel *subsequens* appellatur; et *tran-*

sitoria dicitur, quia cum actu vel concupito, vel incepto, vel iam perfecto *transit*: *habitualis* vero, quae hominem ipsum bonum, ac Deo charum efficit, atque adeo permanet in animo, quoad gravi culpa non destruatur.

CAPUT II.

Quae de Christi gratia docet Catholica Ecclesia, et quae blasphemat haeresis, exponuntur.

§. I. Ea quae de Christi gratia docet Catholica Ecclesia in tria genera distinguenda sunt: alia enim ad *Gratiam Christi* generatim, atque universe spectant; alia vero ad *gratiam actualem;* alia denique ad *habitualem gratiam*, seu iustificationem proprie dictam pertinent.

§. II. Catholicam doctrinam de *Christi gratia* generatim atque universe spectata exhibent quae sequuntur propositiones.

1. Gratia Christi neque in Natura, neque in sola Lege, et Doctrina consistit; sed est *supernaturale* auxilium *voluntatem per dilectionem* movens.

2. Liberum hominis arbitrium nec peccato originali amissum fuit, nec gratia Christi destruitur.

3. Nullo naturali opere gratiam mereri potest creatura.

4. Ad opera naturaliter bona efficienda necessaria non adeo est gratia, ut sine illa quorumlibet, infidelium quoque, hominum, opera peccata existimanda sint. Insuper ad supernaturalia opera bona navanda non requiritur charitas seu gratia habitualis, sed sufficit gratia actualis.

§. III. Quod vero ad gratiae actualis necessitatem, efficacitatem, distributionem, haec docet Catholica Fides; scilicet quod ad necessitatem:

1. Quodvis supernaturale donum, ipsum quoque Fidei initium, sine gratia obtineri nequit.

Quod autem ad efficacitatem.

2. Existit gratia, cui humana voluntas resistit.

3. Peccata omnia etiam venialia in tota vita evitare, nisi ex speciali privilegio, non potest homo semel iustificatus.

Quod demum ad distributionem:

4. Homini iustificato non deest gratia, qua Dei praecepta implere possit.

§. IV. Quae denique circa iustificationem Catholica Fide tenenda sunt, vel eius indolem, vel praeparationem ad eam obtinendam, vel eiusdem fructus spectant.

Quae ad iustificationis indolem pertinent, hac propositione concluduntur.

1. Non in sola peccatorum remissione, quae peccata tantum radat, aut iustitiae Dei, vel Christi imputatione, consistit iustificatio; sed in gratia, et charitate, quae per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur, eisque intrinsecus inhaeret, et peccata vere ac proprie delet.

Quae vero ad iustificationis praeparatio-

nem, duabus quae sequuntur, propositionibus continentur.

2. Fides sola non iustificat.

3. Fides ad iustificationem obtinendam requisita non est, quam fingunt Pseudo-Reformati, fiducia.

Quae demum ad iustificationis fructus adtinent, haec sunt.

4. Aequalis non est in iustificatis omnibus accepta iustitia, utpote incrementi capax.

5. Iustificatio sine speciali revelatione iustificatum hominem *infallibili certitudine* nec iustitiae suae, nec perseverantiae in iustitia certum facit.

6. Homo semel iustificatus amplius peccare potest.

7. Iustus bonis operibus per Dei gratiam, et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, factis vere meretur augmentum gratiae, vitam aeternam, atque etiam gloriae augmentum.

§. V. Gratiae necessitatem negarunt Gentiles, et Iudaei: illi naturae vires, isti Mo-

saïcam Legem ad opera bona perficienda sufficientem iactantes. Utrosque confutavit Apostolus in Epistolis praesertim ad Romanos, et Galatas. Saeculo V. autem incipiente, gratiam omnino negavit Pelagius, naturam ipsam scilicet, seu liberum hominis arbitrium, quibuslibet bonis operibus per se aptum praedicans. Deinde, ne gratiam omnino excludere videretur, gratiae nomine legem et doctrinam se intelligere dictitavit. At gratiam, quae voluntatem afficit secundum Catholicam Fidem, et gratis a Deo, nullo ad humana merita habito respectu, conceditur, obstinate inficiatus est. Inter Pelagii discipulos primum obtinent locum Caelestius, et Iulianus. De Pelagii erroribus audire praestat S. Augustinum sic edisserentem: *Pelagianorum est haeresis, hoc tempore omnium recentissima, e Palagio monacho exorta: quem magistrum Caelestius sic secutus est, ut sectatores eorum Caelestiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiae, qua praedestinati sumus in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, et qua eruimur de*

potestate tenebrarum, ut in eum credamus atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait, » Nemo venit ad me, nisi » fuerit ei datum a Patre meo »; et qua diffunditur caritas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur; in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. Quum si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur » Sine me nihil potestis facere » Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiae Dei ad eius mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret; sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus ut quae facere per liberum iubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere iussa divina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi

in libero arbitrio, quod nullis suis praecedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adiuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quae facere, et quae sperare debeamus: non autem ad hoc per donum Spiritus sui, ut quae didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur; charitatem autem dari negant, qua pie vivitur: ut scilicet quum sit Dei donum scientia, quae sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quae, ut scientia non inflet, aedificat. Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinae Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum; sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, et perseverent in ea. Haec quippe non ab ipso accipere, sed a se ipsis homines habere contendunt, gratiam Dei qua liberamur ab impietate dicentes secundum merita nostra dari. Quod quidem Pelagius in episcopali iudicio Pa-

laestino damnari metuens, damnare compulsus est; sed in posterioribus suis scriptis hoc invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam iustorum in hoc saeculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula et ruga: quasi non sit Christi Ecclesia, quae toto terrarum orbe clamat ad Deum « Dimitte nobis debita nostra. » Parvulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquae prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit quod eis oporteat secunda nativitate dimitti: sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiamsi non baptizentur; promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen aeternam et beatam quamdam vitam suam. Ipsum quoque Adam dicunt, etiam

si non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpae, sed conditione naturae. Obiiciuntur eis et alia nonnulla: sed ista sunt maxime, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta, vel pene cuncta pendere. Haeres.LXXXVIII. Semipelagiani, Massilienses quoque ab urbe, in qua maior eorum pars degebat, appellati, etsi gratiam necessariam et gratuitam, verbo tenus faterentur, quum tamen et fidei initium, et in fide perseverantiam liberi arbitrii viribus concederent, cetera vero dona ob praecedentia merita a Deo tribui contenderent, re quidem vera utrumque negabant. Lutherus autem, et Calvinus liberum hominis arbitrium omnino negarunt, illud Adami culpa destructum asserentes; alter enim libertatem post Adae lapsum *rem de solo titulo, figmentum in rebus*, alter vero *simulacrum* adpellavit. Praeterea universam iustificationis doctrinam funditus evertunt Pseudo-reformati; siquidem totam hominis iustificationem ad quamdam iustificationis umbram et imaginem redi-

gunt. Iustificationem namque nihil aliud esse dictitant quam externam iustitiae Christi imputationem, quae peccatorem nulla ratione a peccato mundat, sed illum tantummodo Christi iustitia extrinsecus tegit, ne peccator a Deo reputetur. Huiusmodi autem iustificationem sola fide consequi contendunt; ac fidei nomine nihil aliud nisi firmam, ac indubitatam fiduciam, qua peccator Christi meritis nititur, et in eis magnopere confidit. Talem denique iustificationem eamdem esse in omnibus, gradibus scilicet non distingui; non alio peccato, quam infidelitate, praedictae nempe fidei defectu, amitti; atque cum certissima et *infallibili* eam possidendi securitate coniungi. Pseudo-Reformatorum errores pene omnes renovarunt Baius, Iansenius, Quesnellius.

CAPUT III.

Catholica doctrina iam exposita demonstratur.

Quam proposuimus Catholicam de gratia doctrinam demonstrandam atque ab haereticorum cavillationibus vindicandam aggredimur eodem ordine, quo illam exhibere curavimus: ideoque tres Sectiones Caput hoc continebit.

Sectio I.

De Christi gratia generatim, et universe spectata.

Propositio I.

Gratia Christi neque in Natura, neque in Lege, et Doctrina consistit, sed est supernaturale auxilium voluntatem per dilectionem movens.

Prob. I. Scripturis. Christi enim gratiam ita describunt Prophetae, ut nec a Natura, nec a Lege et Doctrina, sed ab ipso Deo *immediate* concedatur, atque in charitate consistat. Nimirum Christi gratiam sic edisserit Ieremias: *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* XXXI. 33. Item *Ezechieles*: *Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum po-*

nam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea custodiatis et operemini. XXXIV. 26. 27. In epistolis vero ad Romanos et ad Galatas in hanc veritatem demostrandam totus incumbit Apostolus. Ex his vero epistolis aliqua tantum testimonia speciminis causa proferimus. Nimirum postquam capite. I. et II. tum Iudaeos tum Gentiles peccato obnoxios fuisse ostendit; utrosque per Christi gratiam tantummodo a peccato liberari, et iustitiam consequi potuisse concludit. *Iustitia autem Dei*, inquit, *per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes, qui credent in eum: non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (scilicet Dei gratia). *Iustificatis gratis* (non per naturam in omnibus Adae peccato vitiatam, sed) *per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.*

. . . . *Ubi est ergo gloriatio tua?* (o Iudaee, o Gentilis) *Exclusa est . . . Unus est Deus* (non Natura, non Lex atque Doctrina) *qui iustificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem* cap. III. v. 23. et seqq. Fidem vero perfectam, scilicet cum charitate coniunctam, intelligit Apostolus, ut ipsemet hoc idem argumentum pertractans explicat in Epistola ad Galatas scribens: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur.* V. 6. Eandem doctrinam tradit Apostolus quum irritam fieri gratiam, ipsamque Christi mortem, si per Legem et Doctrinam (multo magis per Naturam, ut ratiocinatur S. Augustinus De Natura et Gratia n. 2.) iustitia acquiratur, ostendit. *Non irritam facio*, ait, *gratiam Dei. Nam si per Legem iustitia; ergo Christus gratis mortuus est.* Gal. II. 21. et paulo post: *Evacuati estis a Christo, qui in Lege iustificamini, a gratia excidistis* V. 4. Quod sane invictum et palmare argumentum non semel et iterum, sed saepius

repetit Apostolus. Eamdem hanc veritatem ostendunt omnes illi Scripturarum loci, quibus vel praecepto, vel Sanctorum utriusque foederis exemplo, vel ipsa Dominica oratione demonstratur a Deo petendam peccatorum remissionem, et auxilium ne in peccata deinceps labamur: nec non illi Scripturarum loci, quibus universam hominum genus Adae peccato infectum fuisse (quod Catholicae Ecclesiae dogma inficiabatur etiam Pelagius, nos vero in Tractatu de Deo, ubi de primi hominis iustitia, et culpa sermo erat, demonstravimus) atque peccatum hoc, quo humana natura vitiata est, per Legem deleri non potuisse. Quos quidem Scripturarum locos egregie pertractat S. Augustinus in Libris contra Pelagianam haeresim conscriptis, praesertim *De Gratia, et Libero Arbitrio* capp. XIII. et XIV. De *Praedestinatione Sanctorum* capp. II. et V. *De Gratia Christi*, praecipue capp. XLI. XLII. et XLVII. et in Epistolis CLXXV. et seqq. usque ad CLXXIX. Denique hanc ipsam veritatem comprobant omnia illa Scriptu-

rarum testimonia, quibus declaratur sine *gratia* nihil nos posse, quod ad vitam aeternam pertineat, agere, ut ex propositionibus, quae sequuntur, patebit.

Prob. II. Patribus, et praesertim S. Augustino, cuius auctoritas in hac materia plurimi valet, ut supra pagg. 17. et 18 animadvertimus. Sic enim loquitur S. Ambrosius (a S. Augustino citatus De pecc. originali contra Pelagium et Caelestium n. 48. et seqq.): *Vides itaque quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis; ut nemo possit aedificare sine Domino.* Comment. in Luc. III. 2. n. 84. Et in eodem Commentario: *Cur autem non receperunt eum Evangelista ipse memoravit dicens » Quia facies eius erat euntis in Ierusalem » Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit.* In Luc. IX. 53. Lib. XII. n. 27. Atque eadem ratione loquitur, ubi dicit: *Bonae lachrymae. Denique quos Iesus respicit, plorant. Negavit primo Petrus, et*

non flevit, quia non respexerat Dominus; negavit, secundo, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus; negavit et tertio: respexit Iesus, et ille amarissime flevit. In Luc. XXII. 61. Lib. X. n. 89. Ipse vero S. Augustinus dogma hoc ex professo demonstrat in Libris adversus Pelagium scriptis, quorum praecipuos paulo ante pag. 121. citavimus. Satis erit igitur unum, et alterum eius testimonium speciminis causa in medium afferre. *Ergo*, sic ex variis contra Pelagium ratiocinationibus concludit, *neque per Legem iustitia, neque per Naturae possibilitatem, sed ex fide, et dono Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, unum mediatorem Dei, et hominum....... Ex quo enim per unum hominem peccatum intravit in Mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: procul dubio a corpore mortis huius, ubi alia lex repugnat legi mentis, neminem liberavit, aut liberat sua possibilitas, quae perdita Redemptore indiget, saucia Salvatore; sed gratia Dei*

per fidem unius Mediatoris Dei et hominum hominis Christi Iesu, qui et Deus quum esset, hominem fecit, et manens Deus, homo factus refecit ipse quod fecit. Epist. CLXXVII. n. II. Atque alibi ex his duobus Apostoli locis: *Ubi enim non est Lex, nec praevaricatio*, Rom. IV. 15. et: *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces*, Rom. VII. 7. colligit aliud esse Legem, aliud Gratiam: *Ac per hoc*, ait, *usque adeo aliud est Lex, aliud est Gratia, ut Lex non solum nihil prosit, verum etiam plurimum obsit, nisi adiuvet Gratia; et haec ostendatur Legis utilitas, quoniam quos facit praevaricationis reos, cogit confugere ad Gratiam liberandos, et ut concupiscentias malas superent adiuvandos. Iubet enim magis, quam iuvat; docet morbum esse, non sanat; immo ab ea potius quod non sanatur augetur, ut attentius, et sollicitius gratiae medicina quaeratur: Quia « littera occidit, spiritus autem vivificat. »* De Gratia Christi contra Pelag. et Caelestium. n. 9.

Non est igitur gratia Dei, concludit alibi ipsemet S. Doctor, *in natura liberi arbitrii et in Lege atque doctrina, sicut Pelagiana perversitas desipit, sed ad singulos actus datur illius voluntate, de quo scriptum est » Pluviam voluntariam segregabis Deus haereditati tuae »* (Psalm. LXVII. 10.). *Quia et liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, et Lex Dei atque doctrina, quamvis sancta et iusta et bona, tamen occidit, si non vivificet spiritus, per quem fit, non ut audiendo, sed ut obediendo, neque ut lectione, sed ut dilectione teneatur.* Epist. CCXVII. n. 12. Quam S. Augustini, seu Catholicae Ecclesiae doctrinam a S. Augustino contra Pelagianos propugnatam sequutus S. Fulgentius aperte adfirmavit; *Quamdiu non est dilectio, nec gratia Christi est.* Lib. I. De veritate Praedest. et Grat. cap. XXIII.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Rerum supernaturalium cognitio certe quidem gratiae effectus est, nequit enim naturae viribus acquiri. Ergo doctrina secundum Pelagium gratia dicenda est.

Resp. Sine ulla dubitatione *supernaturalis* doctrina gratiae effectus, et pars dicenda est; nullum enim supernaturale donum sine gratia obtinetur. At eo sensu gratiam negabat esse doctrinam S. Augustinus cum Catholica Ecclesia, quo scilicet sensu usurpabat Pelagius, obstinate contendens nihil aliud nomine gratiae intelligendum, nisi solam et nudam doctrinam seu, Legem, prout scripta est, atque hoc modo potiorem gratiae partem, immo propriam gratiae rationem, quae in cordis motione, seu dilectione consistit, omnino excludens. *Haec gratia* (nempe Christi ad rem S. Augustinus) *si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum*

per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. De Grat. Christi contra Pelag. et Caelest. n. 14.

Obiic. II. Si lex appellari nequit gratia, frustra Legem populo suo per Moysen dedisset Deus. Atqui Deus nihil frustra molitur. Ergo Lex gratia est appellanda.

Resp. Quamquam aliud sit Lex, aliud Gratia, multum tamen utilitatis habet Lex, quae gratiae necessitatem, ac fontem, ex quo gratia est haurienda, Christum scilicet, ostendit. *Itaque Lex*, ait Apostolus, *paedagogus noster fuit in Christo* Gal. III. 24. ad Christum scilicet eos, qui Legem recte intelligerent, adduxit. *Quid ergo est, quod iste* (Pelagius), inquit apposite S. Augustinus, *legem, atque doctrinam deputat gratiam, qua iuvamur ad operandam iustitiam, quae ut multum adiuvet, ad hoc adiuvat, ut gratia requiratur? Nemo enim potest legem implere per legem.*

Plenitudo enim legis charitas. Charitas autem Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Proinde per Legem Gratia demonstratur, ut Lex per Gratiam compleatur. De Gratia Christi contra Pelag. et Caelest. n. 10.

PROP. II.

Liberum hominis arbitrium nec peccato originali amissum fuit, nec gratia Christi destruitur.

Prob. I. Scripturis, quae, quod ad libertatem adtinet, hominem tum peccato infectum, tum gratia mundatum, vere liberum ostendunt. Sic enim Cainum et originali, et actuali labe iam aspersum alloquitur Deus: *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius.* Gen. IV. 7. In quae Sacrae Scripturae verba duo animadvertenda sunt.

Alterum scilicet per quodvis peccatum homini liberum arbitrium haud eripi. Alterum vero arbitrii libertatem, qua homo quamvis peccator potitur, non esse solam a *coactione libertatem*, sed etiam a necessitate, quum appetitus sui dominus dicatur, eique tum obtemperare, tum resistere possit. Hanc ipsam veritatem confirmant illa Moysis verba, quibus populum ad Dei mandata observanda, et Idololatriam fugiendam exhortatur dicens: *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, et bonum, et e contrario mortem, et malum: ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius et vivas. Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, praedico tibi hodie quod pereas. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum; et diligas Dominum Deum tuum, etc.* Deut. XXX. 15. et seqq. At tota Scriptura, quanta est, veritatem hanc evidentissime praedicat. Quum enim passim hominem peccato infectum vel ad bona opera praeceptis, cohortationibus, exemplis, praemiis inducere conetur; vel a pravis operibus

interdictionibus, dissuasionibus, minis, poenis conetur deducere: quid aliud docet, nisi hominem etiam post peccatum libero arbitrio potiri, eoque vel uti posse bene agendo, vel abuti agendo male? Quod vero ad gratiam spectat, illud divitis immaculati, et post aurum non abeuntis elogium meminisse satis erit superque: *Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna; qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Eccli. XXXI. 10. Nimirum homo etiam perfectus, et adeo probatus, ut aeternam gloriam mereatur, quod certe sine gratia fieri nequit, vera libertate arbitrii gaudet.

Prob. II. Patribus, qui huius Catholicae doctrinae praeclarissima testimonia nobis reliquerunt. S. Hieronymus scilicet Dei verba ad Cainum ante citata sic exponit: *Tu dominaberis illius, nempe peccati: quia liberi arbitrii es, moneo ut non tibi peccatum, sed tu peccato domineris.* In Quaest. Hebr. III. Item S. Ambrosius: *Ideo ait quiesce, quoniam non habes quod excu-*

ses ..... non habes in quo necessitatem magis, quam mentem tuam arguas .... non te invitum, aut imprudentem error attraxit, sed voluntarius reus iudicio, non lapsu, fecisti dolum. Lib. II. de Cain, et Abel, cap. VII. Nec non S. Augustinus qui liberum hominis arbitrium tribus integris libris adversus Manichaeos defendit. *Motus autem, quo huc aut illuc voluntas convertitur,* inquit, *nisi esset voluntarius atque in nostra positus potestate, neque laudandus quum ad superiora, neque culpandus homo esset, quum ad inferiora detorquet, quasi quemdam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, ut istis neglectis aeterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non esse hominem quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est.* De libero Arbitrio Lib. III. n. 3. Et paullo post: *Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est .... Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.*

Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus. nn. 7. 8. Quae quidem S. Augustinum, de homine etiam post Adae peccatum docere totus inclamat contextus; et ipsemet Doctor apertissime declarat his verbis: *Quod si agere voluerit, peccati rea iure tenebitur, tamquam quae non bene usa sit ea facultate, quam accepit. Quamquam enim in ignorantia et difficultate nata sit* (hic de anima peccato originali infecta certissime sermo est) *non tamen ad permanendum in eo quod nata est, aliqua necessitate comprimitur.* Ibid. n. 56. Nulla igitur necessitas naturae in homine peccatore adest secundum S. Augustini doctrinam. Per gratiam vero liberum arbitrium haudquaquam destrui demonstrat ex professo idem S. Augustinus in Libro *de Gratia et Libero Arbitrio*, quem ideo scripsit, *quoniam*, ut ipse testatur, *sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia*

defenditur, negari existiment liberum arbitrium. Cap. I. Denique utramque veritatem, liberum nempe arbitrium nec peccato, nec gratia destrui, complexus est S. Prosper scribens: *Nec quia spiritu Dei agitur, ideo se putet homo liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit, quando Diabolo se voluntate dedit, a quo iudicium voluntatis depravatum est, non ablatum. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem.* De vocat. Gentium cap. VIII.

Prob. III. Ecclesiae definitionibus. Praeter enim articulum XXVII. Ioannis Wicleffi, a Synodo Constantiensi damnatum, in quo libertas destruitur his verbis: » Omnia de » necessitate absoluta eveniunt »; duos habemus Concilii Tridentini Canones, qui totam hanc Catholicam doctrinam declarant. Alter his concipitur verbis: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in*

Ecclesiam , anathema sit. Alter vero : *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti , quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat , ac praeparet ; neque posse dissentire si velit , sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere , mereque passive se habere, anathema sit.* Sess. VI. de Iustif. Can. IV. et V.

Prob. IV. rat. Theologicis. Primum enim homo per peccatum naturam propriam non amisit certe quidem , aliter post peccatum brutus , non homo esset ; atqui ad hominis naturam pertinet liberum arbitrium , nam *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui.* Eccli. XV. 14. quae verba referens S. Augustinus exclamat: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanae voluntatis arbitrium.* De Grat. et Lib. Arb. n. 3. Ergo etiam post peccatum liber est homo. Atque huius veritatis quemque convincit suus ipse interior , sensus ; quisque namque non modo volun-

tatem suam cogi non posse, sed ne ulla quidem necessitate ad hoc vel illud eligendum, aut reiiciendum trahi conscius sibi est. Deinde homini iam peccatori multa in Scripturis praescribuntur, múltaque interdicuntur; quae sane omnia vana prorsus ac ridicula forent, si liberum hominis arbitrium peccato extinctum fuisset. *Quid illud*, opportune S. Augustinus, *quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, et fieri iubet Deus? quomodo iubet, si non est liberum arbitrium?....Denique multa mandata, quae ipsam quodammodo conveniunt voluntatem, sicut est.* » *Noli vinci a malo*; » (Rom. VII. 21.) *et alia similia, sicut sunt:* » *Nolite fieri, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* ». (Psalm. XXXI. 9.)............ *et innumerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanae? In libris etiam novis Evangelicis, et Apostolicis quid aliud ostenditur, ubi dicitur:* » *Nolite vobis condere thesauros in terra* » (Matth.

VI. 199.)............... *Nempe ubi dicitur, Noli hoc, et Noli illud, et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* De Grat. et Lib. Arb. n. 4. Praeterea, si libero arbitrio caret humana voluntas nullum prorsus datur peccatum. Nimirum *defectus iste, quod peccatum vocatur* (advertit S. Augustinus) *si tamquam febris invitum occuparet, recte iniusta poena videretur, quae peccantem consequitur, et quae damnatio nuncupatur. Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* De vera Religione cap. XIV. n. 27. Atqui ipsimet Adversarii hominem peccare adfirmant, immo omnia eius opera peccata esse venditant. Ergo doctrinas inter se invicem repugnantes praedicant. Hoc autem argumentum innumeris Scripturarum sententiis confirmatur, quibus pec-

catores commissorum scelerum redarguuntur, et ad poenitentiam revocantur; quae sane reprehensiones, et exhortationes ridiculae essent, ubi nullum esset in homine liberum arbitrium.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Homo in manu Dei esse dicitur, sicut lutum in manu figuli Isaiae XLV. 9. Ierem. XVIII. 6. Eccli. XXXIII. 13. Rom. IX. 21. et seqq. Ergo libero arbitrio caret.

Resp. Primum illa Scripturarum comparatio potentissimas Dei vires prae humanarum virium imbecillitate, non humanorum operum absolutam necessitatem ostendit; significat nempe neminem, etsi liberum, et magna virtute pollentem, divinam voluntatem in consiliorum suorum dispositione umquam posse impedire. Atque hoc sensu intelligendus praesertim Isaias, et Ieremias. Deinde illud significatur praedicta comparatione (quo sensu loquuntur praecipue Ecclesiasticus, et Paulus) hominem etsi libero arbitrio

praeditum, nihil, quod ad vitam aeternam adtinet, sine divina gratia efficere posse, ideoque Deum gratia sua ex omnibus hominibus, qui *massam* originali peccato *damnatam* componunt, aliquos eligere ad gloriam, ut sint *vasa in honorem*, ceteris gratiae auxilia, quae nulli debet, denegare, et sunt *vasa in contumeliam*; atque ita ostendere *divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam,* et in aliis *ostendere iram* (iustitiam scilicet) *et notam facere potentiam suam*, ut loquitur Apostolus in eodem capite, ubi multa de hac materia disserit, quae eodem modo explicanda sunt. Denique, etiamsi ipsam hominis voluntatem spectare comparationem illam contendat aliquis, nihil tamen patietur liberum voluntatis arbitrium. Deus enim humanam voluntatem, etsi manibus, potestate nempe sua, ita attrectet, ut cretam figulus iuxta illud: *Cor Regis in manu Domini; quocumqne voluerit inclinabit illud*, Prov. XXI. 1. attamen voluntatem ipsam secundum propriam naturam movet

ita nempe, ut voluntas ipsa sese libere moveat; haec namque est humanae voluntatis natura, quam Deus, non alius, eidem tribuit, ideoque motione sua, nedum destruat, magis immo magisque perficit. Quo quidem principio stabili ac certo plures Scripturarum Patrumque sententiae, quae, secundum verborum sonum, absurdae, et inexplicabiles videbantur, planae, et evidentes reperiuntur.

Obiic. II. Hominem actionum suarum dominum non esse illa Scripturarum verba ostendunt: ***Non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos.*** Ierem. X. 23. Ergo commentum est humanae voluntatis libertas.

Resp. Primo Ieremias non de actionibus humanis, sed de ipsarum eventu loquitur. Actionum nempe suarum dominus est homo, qui pro arbitrio suo operatur quod vult; at earum eventus a Deo pendet, qui scilicet invicta virtute pollens omnia quaecumque voluit fecit, Psalm. CXIII. homo autem viribus suis efficere nequit, ut omnia ex sen-

tentia eveniant. Itaque citata Ieremiae verba his Proverbiorum verbis explanantur : *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius* XVI. 9. Deinde etiamsi de actionibus ipsis humanis loqui Ieremiam intelligamus, non liberum voluntatis arbitrium destruit, sed gratiae necessitatem adstruit; quod enim ad vitam aeternam adtinet, nihil efficere potest humana voluntas sine gratiae auxilio, gratia autem, quamvis efficacissima, liberum arbitrium non destruit, immo magis ac magis perficit, ut paullo ante animadvertimus. Quamobrem per eumdem Ieremiam hoc praecipit Deus: *Dirigite vias vestras, et studia vestra,* XVIII. 11. Itaque easdem vias dirigit homo per liberum voluntatis arbitrium, dirigit Deus per gratiae adiutorium.

Obiic. III. Homo in Scripturis appellatur *servus peccati, servus iustitiae*: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* Ioan. VIII. 34. *Liberati autem a peccato servi facti estis iustitiae.* Rom. VI. 18. Ita etiam saepissime hominem appellat S. Augustinus.

Ergo sive peccator, sive iustus sit homo, libero arbitrio spoliatus invenitur.

Resp. Secundum Scripturarum, Patrumque dicendi morem duplex in homine distinguenda libertas; altera scilicet integra et incorrupta, altera vero violata et corrupta. Prior scilicet libertas illa est, qua Deus hominem in creatione ornavit liberum ei arbitrium tribuens, ipsumque gratia sua munerans; altera vero est illa, quae per peccatum et gratiae auxilio spoliata fuit, et vulnus accepit. Quae ut planius intelligantur, advertendum primi homini libertatem ante peccatum duplici ratione integram atque perfectam fuisse, naturali nempe, ac supernaturali. Naturalis perfectio in aequilibritate sita erat, siquidem humana voluntas bonum aeque ac malum plena facultate eligere poterat; supernaturalis vero in divinis, ac toto Naturae Ordini praestantibus viribus consistebat, quae voluntatem ipsam aeternae vitae obtinendae idoneam efficiebant. Utramque perfectionem peccato amisit; et gratiae auxiliis nuda-

ta, et ad malum inclinata fuit; at propriam naturam non amisit. Post peccatum itaque ad malum plus habet ponderis voluntas, quam ad bonum, virium aequilibritate amissa; sed et bonum eligere potest, ideoque libertate, quae in potestate ad opposita reponitur, gaudet. Quibus positis, quum Scriptura et Patres hominem peccati, vel concupiscentiae, vel Daemonis servum appellant de illo voluntatis vitio, vel morbo loquuntur, quo homo Adae filius, et primi peccati haeres vel peccato subiicitur, vel ad peccandum inclinat, non de ipsa volendi, et nolendi facultate, quae in homine peccatore adhuc remanet; item quum iustificatum hominem iustitiae servum vocant, de supernaturalibus viribus sermonem habent; quibus homo instructus iustitiam sectatur, ac bona opera aeternam vitam merentia efficit, non sine ipso voluntatis libero arbitrio, qui gratia non destruitur, immo perficitur. Itaque eiusmodi Scripturarum Patrumque phrases, ut omnia uno verbo complectar, non ad liberae volun-

tatis facultatem, sed affectionem spectant. Opportunissime, ut solet, rem explicat S. Augustinus: *Quis nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino « Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis » utique liberi ad bene iusteque vivendum.* Lib. I. ad Bonif. cap. II. Et postea: *Peccato Adae arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus; sed ad peccandum valere in hominibus subditis Diabolo, ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Lib. II. ad eumdem cap. XXXV. Et alibi: *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat sive in vitam malam, sive in bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratia valeat aliquid.* Epist. CCXV. ad Valentin.

PROP. III.

Nullo naturali opere gratiam merere potest creatura.

Prob. I. Scripturis, quae docent primo Deum esse, qui nos praevenit, nos eligit, voluntatem nostram praeparat, non contra. Haec enim in Scripturis legimus, scilicet: *Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, Psalm. XX. 4. *Misericordia eius praeveniet me*, Psalm. LVIII. 11. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Rom. XI. 35. seq. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ioan. XV. 16. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior serviet minori.* Rom. IX. 11. et seq. *Reliquiae secundum electionem gratiae salvaefactae sunt.* ibid. XI. 5. *Praeparatur voluntas a Domino,* ut legunt LXX. ἑτοιμαζεται θηλησις παρα Κυριου. Prov. VIII.

35. ex vers. LXX. Deinde gratiam gratuitum donum, non mercedem esse tradit Scriptura. Ait enim : *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Rom. XI. 6. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei.* Rom. IV. 4. 5. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu.* ibid. III. 24. Praeterea si secundum merita nostra daretur gratia; eum, qui gratiam recipit, ab eo, qui gratia caret, non per propria merita, sed per Dei donum discerni falso adsereret Scriptura. Atqui scriptum est: *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* I. Cor. IV. 7. Denique Dei misericordiae tribuendum esse salutis nostrae opus declarat Scriptura, quod verum non esset, si secundum merita nostra

concederetur gratia. *Moysi enim dicit*, sic loquitur Apostolus, *Miserebor*, *cuius misereor*, *et misericordiam praestabo cui misericors fuero : igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.... Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat* Rom. IX. 15. 16, *Miseretur* scilicet, ut explicat S. Augustinus, *gratuito dono, obdurat autem iustissimo merito.* Epist. CXCIV. n. 39.

Prob. II. Patribus, ac praesertim S. Augustino, qui praedicta Scripturarum testimonia, aliaque multa similia explicans, ac praecedentium Patrum sententias referens, Catholicum hoc dogma mirifice illustrat, atque apertissime confitetur. *Haec autem Christi gratia*, inquit, *sine qua nec infantes, nec aetate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod et gratia nominatur.* De Nat. et Gratia n. 4. Atque inter *ea, quae maxime adversus* Pelagianos *Catholica defendit Ecclesia* illud primo loco ponit *gratiam Dei non secundum merita nostra dari ; quoniam Dei dona sunt, et Dei gratia con*

feruntur etiam merita universa iustorum confirmatque S. Cypriani auctoritate. De' Dono Perseverantiae n. 4. et seqq. Quod si Dei gratia conferuntur merita iustorum, eo vel magis Dei gratia confertur illud, quod iustos facit. *Nam quae merita bona*, ratiocinatur sic idem S. Augustinus, *tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus?* scilicet nondum iusti eramus. *Ut enim acciperemus dilectionem, qua diligeremus, dilecti sumus quum eam nondum haberemus. Hoc Ioannes Apostolus apertissime dicit » Non quod nos dilexerimus Deum, sed quia ipse dilexit nos »* (IV. 10.) *Et alibi* : » *Nos diligamus, inquit, quia ipse prior dilexit nos* (ibid. 19.) *Optime omnino, atque verissime. Non enim haberemus, unde illum diligeremus, nisi hoc ab illo, quum prior nos diligeret, sumeremus.* De Grat. Christi n. 27. S. Augustino concinit S. Prosper, vel quisquis est Auctor Operis de Vocatione Gentium, qui scribit : *Omnibus hominibus causa percipiendae gratiae Dei*

voluntas est, apud quam ratio electionis abscondita est, ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepere sine meritis. Lib. I. cap. VIII. S. Fulgentius, qui ait. *Si nostrum est velle credere, priusquam Dei gratia nos incipiat adiuvare, iniuste gratia dicitur, quia non gratis datur hominibus, sed bonae retribuitur voluntati.* De Incarnat. et Grat. Christi cap. XVIII. S.Gregorius: *Non virtutibus venitur ad fidem, sed fide pertingitur ad virtutes.* Hom. XIX. in Ezech.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Pluribus enim in Conciliis damnata est Pelagii haeresis, cuius unus ex praecipuis erroribus hic erat, gratiam nempe secundum merita nostra dari; quorum Conciliorum acta in Norisii Historia Pelagiana, et in Appendice Tomi X. Operum S. Augustini a Maurinis editorum legere licet. At Concilii Arausicani II. (quod a Bonifacio II. Summo Pontifice confirmatum, et ab universa Ecclesia comprobatum Oecumenici vim habet), et Tridentini definitiones silentio praeterire non possumus. *Si quis sine gratia Dei*, sic

primum, *credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia sicut agere oportet agere valeamus, per infusionem, et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; et aut humilitati, aut obedientiae humanae subiungit gratiae adiutorium, nec ut obedientes, et humiles simus ipsius gratiae donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti:* » *Quid habes quod non accepisti?* » (I. Cor. IV.7.) *et* » *Gratia Dei sum id quod sum* » (ibid. XV. 10.) Can. VI. Et postea : *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.* Can. XVIII Alterum vero : *Declarat praeterea ipsius iustificationis exordium a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur.* Sess. VI. de Iustif. cap. V. Et postea: *Si quis*

dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit. Ibid. Can. III.

Prob. IV. rat. Theolog. Primo namque gratiae ipsius nomen merita omnia praecedentia excludit, gratia enim dicitur quia gratis, id est sine ullo merito, datur. Deinde gratia est *supernaturale donum*, id est universo Naturae Ordini praestans; ideoque inter Naturam et gratiam infinita intercedit distantia. Ergo quodvis Naturae donum, quamvis excellens, et singulare, nullam habet ad gratiam proportionem, atque idcirco gratiam mereri non potest. Demum gratia praedestinationi comparatur, ut effectus caussae, vel ut medium fini; atqui praedestinationem nullum naturale meritum antecedit, ut pag. 15. et seqq. demonstravimus: ergo ne gratia quidem secundum merita datur.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Pluribus in locis Scriptura nos hortatur, ut convertamur ad Deum, atque ita mereamur, ut Deus convertatur ad nos: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertur ad vos, dicit Dominus exercituum* Zachar. I. 3. *Revertimini ad me, et revertur ad vos, dicit Dominus exercituum*. Malach. III. 7. *Haec dicit Dominus: Si converteris convertam te*. Ierem. XV. 19. Atqui *unum horum videtur esse nostrae voluntatis* sic S. Augustinus Pelagianorum argumenta referens, *id est, ut convertamur ad eum; alterum vero ipsius gratiae, ut etiam ipse convertatur ad nos. Ubi possunt putare Pelagiani suam obtinere sententiam, qua dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari*. De Grat. et Lib. Arb. cap. V. n. 10.

Respondet idem S. Augustinus: *Nec attendunt qui hoc sentiunt, quia nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra con-*

versio , non ei diceretur » Deus virtutum converte nos » (Psalm. LXXIX. 8.) *et » Deus tu convertens vivificabis nos » et : Converte nos Deus sanitatum, nostrarum »* (Psalm. LXXXIV. 7. 5.) *et huiusmodi alia , quae commemorare longum est. Nam et venire ad Christum , quid est aliud , nisi ad eum credendo converti ? Et tamen ait » Nemo potest venire ad me nisi datum fuerit ei a Patre meo »* (Ioan. VI. 66.) Ibid. Praeterea hunc habent sensum illae Scripturarum sententiae , scilicet populum suum hortatur Deus ad mores reformandos , si ipsius Dei temporalia beneficia accipere velit, ut ex contextu patet , et aperte ostendunt verba haec, quae in Isaia leguntur : *Si volueritis , et audieritis me , bona terrae comedetis.* I. 19.

Obiic. II. Apostolis varia praecepta tradidit Christus , quae gratia dignos ab indignis distinguendos esse, ideoque gratiam secundum merita dari ostendunt , veluti illud : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Matth. VII. et

alterum: *In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit.* Matth. X. 11. Idem ostendunt alia Scripturarum dicta, veluti illud *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Iacob. IV. item illud Angeli ad Cornelium Centurionem: *Orationes tuae, et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, Actor. X. 4. et Petri ad eumdem Cornelium: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum, et operatur iustitiam acceptus est illi,* ibid. 34. 35. Ergo gratiam merere potest homo.

Resp. Merita illa, de quibus sermo est in obiectis Scripturarum sententiis, non sunt merita naturae viribus parata, sed vel merita per gratiam comparata, vel obstacula per gratiam ipsam remota. Nimirum Scripturarum verba, quae primo loco obiiciuntur illorum exclusionem respiciunt, quos petulantia et obstinatione in peccatis praescivit Deus gratiam non recepturos, iuxta illud: *Crediderunt quot-*

quot erant praeordinati ad vitam aeternam. Act. XIII. 48. Quae autem secundo loco obiiciuntur ad Evangelium Iudaeis, non Gentibus, ab initio praedicandum pertinent, ut praecedentia verba: *In viam gentium ne abieritis*, ibid. 5. Iudaei autem per gratiam a Deo ad Evangelium recipiendum praeparati fuerant. Praeterquum quod ibi dignum vocat Cristus, non iustum hominem, et sanctum; sed honestum ac bonae famae. Iacobus praeterea humiles vocat, qui tales per gratiam effecti sunt, ait enim: *Maiorem autem dat gratiam*, ibid. ideoque iam gratia praeparatos ostendit. Denique Cornelii meritum non sine fide, atque idcirco non sine gratia, comparatum fuerat, ut animadvertit S. Augustinus: *Acceptae sunt eleemosynae, et exauditae orationes* (Cornelii) *antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat, et orabat.......Quidquid igitur et antequam in Christum crederet, et cum crederet, et cum credidisset, bene operatus est, Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur.* De Praed. Sanctor. cap. VII. n. 14.

Obiic. III. S. Ioannes Chrysostomus adfirmat Abraham bonis operibus ad gratiae beneficia recipienda sese praeparasse. Hom. XLV. in Gen. et alibi ait Deum voluntatem nostram non praevenire, sed expectare, quoad se praeparet ad gratiam obtinendam. Hom. XVII. in Ioan.

Resp. Chrysostomum, nec non alios Patres, qui nondum orta Pelagii haeresi scripserunt, aliquanto obscurius gratiae indolem expressisse; et contra clarius arbitrii libertatem adversus Manichaeorum errorem, qui illam iam negaverant, defendisse comperta res est. Attamen nihil, quod Catholicae de gratia doctrinae adversetur, umquam docuerunt. Nimirum Abrahae praeparationem commemorat Chrysostomus, sed illam nullo gratiae auxilio factam non dicit, immo contrarium innuit. De illis enim Abrahae operibus loquitur, quae libero arbitrio gratiae assentiente fiunt, et quibus maiora divina beneficia procurantur, a Deo, sine ullo libertatis humanae assensu solo omnipotentiae nutu concessa, uti erant

immensus filiorum numerus ex semine Abrahae multiplicandus, et omnium gentium in eodem semine benedicendarum gloria, iuxta illud ipsius Dei oraculum : *Ambula coram me , et esto perfectus , ponamque foedus meum inter me , et te , et multiplicabo te vehementer nimis.* Gen. XVII. 1. 2. Quo exemplo nos hortatur Chrysostomus , ut id operemur , quod nostra voluntate non sine gratiae adiutorio possumus ; scilicet peccata detestemur , iustitiam sectemur , atque ita Deum provocemus ad id efficiendum , quod ipse solus potest , videlicet ad peccata nobis remittenda , gratiam augendam , atque alia eiusmodi. Quod vero ait Chrysostomus Deum nostras non praevenire voluntates , liberum voluntatis arbitrium gratiae efficacia non destrui ostendit , at gratiae adiutorium non excludit. Hunc enim esse verborum illorum sensum declarat Chrysostomus ipse sic sententiam suam explanans : *In Dei quidem potestate sunt omnia* (en gratiae in omnibus necessitatem) *sed non ita , ut nostrum liberum laedatur arbitrium* (en voluntatis

libertatem); et paullo post: *Non praevenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium.* Hom. XII. in Epist. ad Hebr.

Obiic. IV. S. Augustinus rationes aliquot afferens, cur post tot saecula ab Adae peccato advenerit Christus salutem Mundo allaturus, haec inter alia scribit: *Salus Religionis huius, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli umquam defuit, et cui defuit dignus non fuit.* Epist. CII. quaest. II. Et alibi eos, qui gratiam nondum acceperunt, ut ad eam recipiendam se praeparent oratione exhortatur his verbis: *Nondum traheris? Ora ut traharis.* Tract. XXVI. in Ioan.

Resp. Priorem sententiam sic retractavit ipsemet S. Doctor: *Hoc non ita dixi, tamquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit, sed quemadmodum ait Apostolus:* « *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: maior serviet minori* » (Rom. IX. 12.) *quam vocationem ad Dei propositum adserit pertinere. Unde dicit:* « *Non secundum opera nostra,*

sed secundum suum propositum , et gratiam » (11. Tim. 1. 9.) Lib. II. Retract. cap. XXXI. In altera vero de hominis libertate loquitur , non tamen exclusa gratia. Illa enim Christi verba interpretatur : « *Nemo potest venire ad me , nisi Pater , qui misit me , traxerit eum.* » Ioan. VI. 44. ostenditque hominem, quamvis gratia tractum, libere nihilominus gratiae illum trahenti consentire. Itaque, ut hominem liberum esse ostendat, eum orare iubet , ut a Deo trahatur ; sed ipsum sine gratia orare non àdserit, immo contrarium demonstrat in contextu , siquidem illud saepe repetit a Christo dictum , neminem scilicet ad eum venire, nisi gratia tractum ; qui autem orat, ad Deum certe ipsa oratione accedit.

Prop. IV.

Ad opera naturaliter bona efficienda necessaria non adeo est gratia, ut sine illa quorumlibet, infidelium quoque hominum, opera peccata existimanda sint. Insuper ad supernaturalia opera bona navanda non requiritur charitas seu gratia habitualis, sed sufficit gratia actualis.

Prob. I. Scripturis. Quod enim ad priorem partem attinet, saepe infideles homines ob quaedam bona opera ab ipsis facta laudatos in Sacris Scripturis legimus, ut Ægyptias obstetrices, quia Hebraearum mulierum mares non interfecerunt; Cyrum et Darium Reges, quod Hebraeos captivitate Babylonica liberaverint, et Dei Templum instaurare permiserint; Regem Assuerum, qui Haman poena, et Mardochaeum praemio pro meritis affecit; barbaros Melitam insulam incolentes, qui *praestabant non modicam humanitatem* Paulo, et sociis, ut narrant Actus Apostol. cap. ult. v. 1. aliosque eiusmodi. Quod vero ad alte-

ram partem peccatores ad poenitentiam, aliaque bona opera efficienda, quibus ad iustificationem se disponant Deum hortari in Scripturis legimus. Nimirum ita per Ezechielem peccatores alloquitur Deus : *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*, XVIII. 30. per Danielem vero: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum*, IV. 24. Deinde publicanus humilitate, oratione, peccatorum confessione ad obtinendam iustificationem se praeparavit; post illa enim *descendit iustificatus in domum suam*, Luc. XVIII. 14. siquidem *ista confessio meruit iustificationem*, ut de Publicano verba faciens advertit S. Augustinus, Tract. XLIV. in Ioan. n. 13. Atque de Cornelio Centurione sermonem instituens ipsemet S. Augustinus idem animadvertit, quod nempe ante Baptismum non tamen sine gratia orationibus, et eleemosynis vacaverit.

Prob. II. ex Patribus. Nam quod ad primam partem *nemo est adeo malus*, ita S. Ioannes Chrysostomus, *qui non habeat ali-*

quid boni, cuius ratione bonum aliquid temporale mereatur, Hom. LXVII. ad pop. Chrysostomo concinit S. Augustinus, qui aliquas Romanorum commemorat virtutes, quas Deus temporali mercede, eorum imperium augendo, remuneravit, De Civ. Dei Lib. V. cap. XII. et seqq. atque ita concludit: *Quibus ergo non erat Deus daturus vitam aeternam cum sanctis Angelis suis in Civitate sua coelesti, ad cuius societatem pietas vera perducit...... si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc aliquid boni facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait » Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam »* (Matth. VI. 2.)........*Non est quod de summi, et veri Dei iustitia conquerantur » perceperunt mercedem suam »*. Ibid. cap. XV. Et alibi idem S. Doctor: *Etiam impiorum, nec Deum verum vera-*

citer, iusteque colentium quaedam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum iustitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus. Lib. de Spir. et lit. Cap. 27. Quod ad alteram vero partem, discrimen inter actualem, et habitualem gratiam satis aperte indicat S. Augustinus his verbis: *Omnia haec* (gratiae scilicet dona) *operatur unus, atque idem Spiritus dividens propria unicuique, prout vult* (I. Cor. XII. II.); *quia Spiritus ubi vult spirat* (Joan. III. 8): *sed quod fatendum est aliter adiuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adiuvat, ut sint fideles; inhabitans adiuvat iam fideles.* Epist. CXCIV. n. 18.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae definitionibus. Hanc enim Wicclefi propositionem damnavit Constansiensis Synodus, scilicet: *Omnia peccatoris opera sunt peccata*; et alteram Ioannis Hus: *Sine gratia sanctificante nullum bonum opus fieri potest.* Sess. XV. Deinde sic Catholicam doctrinam declaravit

Tridentina Synodus: *Si quis dixerit opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.* Sess. VI. Can. VII.

Prob. IV. rat. Theolog. Per peccatum enim, quod ad primam partem attinet, propria hominis natura ad imaginem Dei facta deleta non est, ideoque etiam post peccatum potest homo rationis usu naturalia officia cognoscere, atque libero voluntatis arbitrio eadem servare. *Non usque adeo*, ad rem S. Augustinus, *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis, vel sapere.* De Spiritu, et littera, cap. XXVII. n. 48. Eodem modo ratiocinatur S. Thomas: *Sicut enim*, inquit, *habens fidem potest aliquod peccatum committere in eo, quod non refert ad finem fidei, ita*

etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis, 2. 2. qu. X. art. 4. Quod ad alteram vero partem, quomodo ille qui sanctificantem gratiam possidet, peccata quaedam venialia committere potest, quae profecto non ex gratia, sed ex concupiscentia nascuntur; ita qui concupiscentia possidetur, potest aliqua supernaturalia opera bona efficere, quae non per concupiscentiam, sed per actualem gratiam efficiuntur.

Obiecta diluuntur.

Obiic. 1. Principium hoc statuit Apostolus, *Omne quod non est ex fide peccatum est*, Rom. XIV. 23. Ergo quidquid faciunt infideles, peccatum est.

Resp. Primo fides in ea Apostoli sententia, non Theologica virtus, sed fiducia, quae ex tranquilla conscientia nascitur, intelligenda est, ut contextus ostendit; de iis enim agit, qui a quibusdam cibis abstinebant, idcirco quod eos vetitos putarent, atque ex

consequenti secura conscientia iis vesci non posse arbitrabantur ; confirmatque praecedens Apostoli dictum : *Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat*, ibid. 22. scilicet beatus qui non putat se peccare in eo quod conscientia dictante eligit. Quamobrem omne quod non est ex fide, praedicto sensu accepta , scilicet ex fiducia , quam tranquilla conscientia inspirat, peccatum est , siquidem conscientiae illud non esse faciendum dictanti opponitur, ideoque peccatum est. Deinde , etiamsi fides Theologica in ea Apostoli sententia intelligenda sit, illud ostendere vult idem Apostolus , nempe sine fide nullum opus, quod vitam aeternam mereatur , fieri posse ; opus enim bonum , ut mereatur vitam aeternam, ad Deum per charitatem dirigendum est siquidem ejusmodi opus non ex officio tantum , sed etiam ex fine determinatur, quod multis demonstrat S. Augustinus contra Iulianum Lib. IV. cap. III. ex qua demonstratione concludit , *Possunt ergo aliqua bona fieri , non bene facientibus a quibus fiunt. Bonum est*

enim ut subveniatur homini periclitanti, praesertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis, quam Dei facit, non bene bonum facit. n. 22; ac postea apertius idem S. Augustinus: *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quae faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus et bona male faciunt; quia ea non fideli, sed infideli, hoc est stulta et noxia faciunt voluntate; qualis voluntas, nullo Christiano dubitante, arbor est mala, quae facere non potest, nisi fructus malos, id est sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est.* n. 32. Igitur quod non est ex fide, iuxta S. Augustinum, in ea Apostoli sententia, idem sonat ac quod est contra fidem, quod scilicet fit *stulta et noxia voluntate*. Totam hanc doctrinam paucis complectitur S. Thomas: *Peccatum mortale*, ait, *tollit gratiam gratum facientem, non autem totataliter corrumpit bonum naturae.*

Unde, quum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia earent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturae. Unde manifestum est, quod infideles non possunt operari bona opera, quae sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quae sufficit bonum naturae, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod in omni opere suo peccent, sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. 2. 2. qu. X. art. 4.

Obiic. II. S. Augustinus saepissime, praesertim in libro IV. contra Iulianum cap. III. bona infidelium opera non virtutes, sed peccata nominat, et peccata esse ostendit. Ergo omnia infidelium opera sunt peccata.

Resp. Ut S. Augustini doctrina plane, ac perfecte intelligatur plura sunt animadvertenda. Primum, quod Iulianus, quem confutare sibi proponit S. Augustinus, infideles virtutibus per naturae vires comparatis iustos fieri contendebat, quod negat S. Doctor his verbis: *Sed absit, ut sit in ali-*

quo vera virtus , nisi fuerit iustus. Absit autem , ut sit iustus vere , nisi vivat ex fide : Iustus enim ex fide vivit. Quis porro eorum , qui se Christianos habere volunt, nisi soli Pelagiani , aut in ipsis etiam forte tu solus , iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium , iustum dixerit Diabolo mancipatum, sit licet ille Fabricius , sit licet Fabius , sit licet Scipio , sit licet Regulus, quorum me nominibus, tamquam in antiqua Romana curia loqueremur, putasti esse terrendum ? Cit. Lib. cap. III. n. 17. Alterum , quod Iulianus veras germanasque virtutes ex officio tantum , seu ex obiecto , non ex fine , existimandas esse statuebat ; hoc autem principium S. Augustinus hac ratione evertebat : *Noveris itaque non officiis , sed finibus , a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est , finis vero propter quod faciendum est. Quum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur , si non propter hac facit , propter quod facere debet, peccare convincitur. Quae tu*

non attendens fines ab officiis separasti, et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare iustitiam, cuius dominam repereris avaritiam. Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse iustitiae: sed quum quaeritur quare fiat, et respondetur, Ne plus pecuniae litibus pateat: quomodo iam hoc factum verae poterit esse iustitiae, quum serviat avaritiae? Quales virtutes Epicurus induxit, voluptatis ancillas, quae omnino quidquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenendam. Absit autem, ut virtutes verae cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos. ibid. n. 21. Tertium, quod Ethnicos sine fide bonos, quamvis steriliter, dici posse censebat Iulianus, cui respondebat S. Augustinus: *Dici non potest, quantum te ista fallat opinio, qua dixisti omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuose, aut steriliter boni*

sumus. Fieri enim non potest, ut steriliter boni simus; sed boni non sumus, quidquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem, ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, et in ignem mittat arbores bonas. n. 22. ac postea: *Et tamen, quum sine fide impossibile sit placere Deo, tibi virtutes sine fide sic placent, ut eas veras praedices, eisque bonos esse homines; et rursus, quasi te poenituerit laudis illarum, steriles pronuntiare non dubites.* n. 24 et infra: *Iustus ergo Deus, et bonus bonos est in mortem missurus aeternam?* n. 33. Demum Iuliani principia Ethnicos declarabant vita aeterna dignos, quam Pelagiani infantibus sine baptismo defunctis non negabant, ut ratiocinatur S. Augustinus: *An forte et istis, qui exhibuerunt terrenae patriae Babylonicam dilectionem, et virtute civili, non vera, sed verisimili daemonibus, vel humanae gloriae servierunt, Fabriciis videlicet, et Regulis, et Fabiis, et Sci-*

pionibus, et Camillis, ceterisque talibus, sicut infantibus, qui sine Baptismate moriuntur, provisuri estis aliquem locum inter damnationem, Regnumque coelorum; ubi, non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide placere impossibile est, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt?

n. 26. Quibus praenotatis, facillime perspicitur longe aliud esse quod S. Augustinus defendit contra Iulianum ab eo, quod Pseudo-Reformati, nec non Iansenius, contra Catholicos contendunt. Nimirum Iulianum in eo confutat. S. Augustinus, quod propugnabat homines fide carentes bonos, et iustos dici et esse posse, veris germanisque virtutibus ornari, sempiternam felicitatem merere, uno verbo non gratiae, sine qua nemo potest placere Deo, sed libero arbitrio ea omnia tribuebat, et liberum arbitrium ipsum originali culpa ne minimum quidem debilitatum adserebat, ut hac ratione gratiae necessitatem destrueret; numquam vero Iulianum, ceterosque Pelagianos oppugnans S.Au-

gustinus, omnes infidelium actus esse p
cata affirmavit, nec quod liberum volı
tatis arbitrium in homine recognoscer
ipsos refutavit, immo cum ipsis in eo a
firmando consensit, ut saepe saepius fa
tur, et praecipue his verbis: *Liberum it
que in hominibus esse arbitrium, et Dei
nascentium conditorem utrique* (Catholi
et Pelagiani), *dicimus. Non hinc estis Cc
lestiani, et Pelagiani. Sed si quis ad c
lendum recte Deum, sine ipsius adiutor
dicit esse in hominibus liberum arbitriu
et quisquis ita dicit Deum nascentium cc
ditorem, ut parvulorum neget a potest
Diaboli Redemptorem, ipse Coelestianu
et Pelagianus vocatur.* De Nupt. et Con
pisc. Lib. II. cap. III. At contra Pseudo-I
formati, necnon Iansenius, quamvis tacit
obscureque, liberum hominis arbitrium p
originalem culpam omnino negant, atq
ideo omnes infidelium et peccatorum act
peccata vocant, ac poena aeterna dignos p
nunciant.

SECTIO II.

De gratiae actualis necessitate, efficacitate, distributione.

Propositio I.

Quodvis supernaturale donum, ipsum quoque fidei initium, sine gratia obtineri nequit.

Prob. I., Scripturis, quae nulla alia ratione praeterquam gratia fidem obtineri docent. Nimirum hoc docuit Christus Iudaeos, dicens primo: *Et vidistis me, et non creditis. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Ioan. VI. 36. 37. *Quid est*, explicat S. Augustinus « *ad me veniet* » *nisi credet in me? sed ut fiat, Pater dat.* De Praed. Sanctor. cap. VIII. n. 13. Fides ergo est divinae gratiae effectus. Deinde vero sic pergit Christus ipse: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.....*

Est scriptum in Prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.....Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Ibid. 44. 45. 66. Quae verba explanans idem S. Augustinus inquit: *Valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua Deus auditur, et docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum: sed ubi, et quomodo a Patre audierint hoc, et didicerint non videmus. Nimirum gratia ista secreta est; gratiam vero esse quis ambigat?* ibid. Et paulo post: *Ergo trahi a Patre ad Christum, et audire ac discere a Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat qui dicebat « Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo »* ibid. n. 15. Praeterea Deum nos e peccati tenebris in fidei lucem vocare adfirmat Scriptura his verbis: *Deus, qui*

dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu II. Cor. IV. 6. *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* Ephes. V. 8. *Ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* I. Petr. II. 9. Ergo fides per gratiam obtinetur. Nec fidem tantum, sed ipsum quoque fidei initium Dei gratia nobis concedi ostendit Scriptura, quum inquit: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Rom. XI. 35. 36. Hinc concludebat S. Augustinus: *Non receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse damnare compulsus est: Gratiam Dei secundum merita nostra dari; si non pertinet ad Dei gratiam quod credere coepimus, sed illud potius quod propter hoc nobis additur, ut plenius perfectiusque credamus; ac per hoc initium fidei nostrae priores damus Deo, ut retribuatur nobis et supplementum eius, et si quid aliud fideliter poscimus*

.... *Et ipsum igitur initium fidei nostrae ex quo, nisi ex ipso est? Neque enim hoc excepto, ex ipso sunt cetera, sed » ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* De Praed. Sanctor. cap. II. n. 3. 4. Praeterea hanc sententiam pronunciat Scriptura: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* II. Cor. III. 5. In quam sententiam animadvertens idem S. Augustinus sic ratiocinatur: *Adtendant hic, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum........ Quod ergo pertinet ad religionem, atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed*

sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. Ibid. n.5. Denique ait Scriptura: *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* I. Cor. IV. 7. *Quo praecipue testimonio*, fatetur S. Augustinus, *etiam ipse convictus sum, quum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei; sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo.* De Praed. Sanctor. cap. III. n. 7.

Prob. II. Patribus. Antiquiorum enim Patrum sententias refert S. Augustinus, De Praed. Sanctor. cap. III. et De Dono Perseverantiae cap. XIX. Ac primum illam S. Cypriani sententiam citat: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Lib. III. ad Quirinum cap. IV. Alteram deinde S. Ambrosii: *Non est in nostra potestate cor nostrum, et nostrae cogitationes.* De fuga saeculi, cap. I. Tertiam S. Gregorii Nazianzeni: *Unius Deitatis, quaeso vos, confitemini Trinitatem*

.... *et Deus vocem dari vobis a Spiritu Sancto deprecabitur*, (sciliter rogabitur, interpellabitur). ***Dabit enim, certus sum, qui dedit quod primum est, dabit et quod secundum est*** (nempe, ut interpretatur S. Augustinus, qui dedit credere, dabit et confiteri). Orat. XLIV. in Pentecosten. Quae, et his similia praecedentium Patrum testimonia colligens S. Augustinus scribit: *Isti tales, tantique doctores dicentes non esse aliquid, de quo tamquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur; nec ipsum cor nostrum, et cogitationes nostras in potestate nostra esse; et totum dantes Deo, atque ab ipso accipere nos confitentes, ut permansuri convertamur ad eum; ut, id quod bonum est nobis quoque videatur bonum, et velimus illud, ut honoremus Deum, et recipiamus Christum, ut ex indevotis efficiamur devoti, et Religiosi, ut in ipsam Trinitatem credamus, et confiteamur etiam voce quod credimus: utique gratiae Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non*

a nobis esse testantur. De Dono Persev. cap. XIX. n. 50. Quam Catholicam doctrinam ipsemet S. Augustinus apertissime confitetur his verbis: *Fides igitur, et inchoata, et perfecta donum Dei est, et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes isse in condemnationem, sine dubitatione iustissimam: ita ut nulla esset Dei iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Unde constat magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, et quid sibi deberetur in eis, qui non liberantur, agnoscunt: ut qui gloriatur, non in suis meritis, quae paria videt esse damnatis, sed in Domino glorietur. Cur autem istum potius, quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius.* De Praed. Sanctor. c. IX. n. 16. Et alibi versiculum illum Psal. XXXVI. *A Domino gressus hominis diriguntur, et viam eius volet* explanans ait: *Ut intellige-*

remus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere, quoniam Dei via quid est, nisi fides recta? illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus, ut velimus. Non enim ait Scriptura: A Domino gressus hominis diriguntur, quia viam eius voluit: sed diriguntur, inquit, et volet. Non igitur quia voluit diriguntur, sed quia diriguntur volet. In Psalm.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim definivit Arausicana II. Synodus (quae pro Oecumenica quod ad vim habenda, ut animadvertimus pag. 148): *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, et ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit; Apostolicis dogmatibus adversarius adprobatur, beato Paulo di-*

cente » *Confidimus quia qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi* »; *et illud:* » *Vobis datum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini* »; *et: Gratia salvi facti estis per fidem, non ex vobis: Dei enim donum est* » Can. V. Et iterum: *Si quis nos per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari idest Evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti; qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis* » *Sine me nihil potestis facere* » Can. VII.

Prob. IV. rat. Theolog. Primo enim fides vel inchoata est iustificationis initium, et fundamentum. Si ergo fidei initium naturalium virium effectus est, non gratiae, ipsa quoque iustificatio naturae viribus obtineri

poterit. *Cur autem*, apposite S. Augustinus, *non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit, augeat, omnino non video; nisi quia resisti non potest divinis manifestissimis testimoniis, quibus et fides, unde pietatis exordium, donum Dei esse monstratur; quale est illud, quod » Unicuique Deus partitus est mensuram fidei »* (Rom. XII. 3.)…. *Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare : et tamen volens a seipso sibi esse quod credit, quasi componit hominem cum Deo, ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat; et quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi : et in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.* De Praed. Sanctor. cap. II. n. 5. Altera deinde ratio ex Ecclesiae precibus nascitur, Ecclesia enim Deum orat, ut infideles ad fidem vocet, et Deo gratias agit, quod ipsos ad fidem perduxerit. Ergo fidei initium ex Dei gratia esse profitetur. Quamobrem ita ratiocinatur idem S. Augustinus. *Exsere con-*

tra orationes Ecclesiae disputationes tuas, quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, et pro Cathecumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus, ut in eo quod esse coeperunt, eius munere perseverent, subsanna pias voces; et dic te non facere quod hortatur, idest, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eo quod non sint ista divinae miserationis beneficia, sed humanae officia voluntatis..... Inane igitur et perfunctorie potius quam veraciter pro eis, ut doctrinae, cui adversantur credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad eius non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias voluntates hominum. Inaniter etiam, et perfunctorie potius quam veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit.... Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non il-

lum facere credimus, quod oramus. Prorsus non gratias Deo agimus, sed agere nos fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus. Absit ut quod facere Deum rogamus oribus, et vocibus nostris, eum facere negemus cordibus nostris.... Et dum volumus apud homines defendere liberum arbitrium, apud Deum perdamus orationis auxilium, et gratiarum actionem non habeamus veram, dum veram non agnoscimus gratiam. Ep. CCXVII. n. 2.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Christus orare nos iubet, ut id quod petimus accipiamus: *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.* Luc. XI. 9. Et Apostolus aperte dicit: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Rom. VII. 18. Ergo fidem quaerere, et cupere possumus sine gratia.

Resp. Quod Deus petere nos iubet, nos sine eius gratia petere posse non consequitur, quemadmodum quod Deus nos monet, ut

ad eum redeamus, non consequitur ad Deum nos converti sine ipsius gratia, sicuti p. 151. et seq. animadvertimus. Nimirum *quid oremus*, ait ipsa Scriptura, *sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. VIII. 26. et: *Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater* ibid. 15. *Ubi intelligimus*, ad rem S. Augustinus, *et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum. Adtendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quaeramus, pulsemus: et hoc esse dicunt, quod gratia praeceditur merito nostro, ut sequatur illa, quum accipimus petentes, et invenimus quaerentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est petamus, quaeramus, atque pulsemus....... Quod vidit et Beatus Ambrosius. Ait enim: » Et orare Deum gratiae spiritalis est, sicut scriptum est: Nemo dicit Dominus Iesus, nisi in Spiritu*

Sanct. «. De Dono Persev. cap. XXIII. n. 64. Quod vero ad Apostoli verba adtinet, de se loquitur Apostolus, qui sanctificante gratia praeditus, bonum ipsius gratiae ope velle confitetur, at concupiscentia repugnante bonum ipsum non perficere, nisi gratia concupiscentiae victrix adiuvet, ut ex contextu manifestissime patet. Praeterea idem Apostolus et voluntatem, et voluntatis perfectionem divinae gratiae opus esse evidenter adfirmat his verbis: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Philipp. II. 13. Demum ibi Apostolum, et hominis liberum arbitrium, et gratiae necessitatem coniungere voluisse nulla difficultate dici potest. *Quoniam « Velle adiacet mihi » professio est voluntatis; perficere autem bonum non invenio » confessio est necessitatis,* ut animadvertit S. Augustinus. Oper. imperf. contra Iulianum Lib. IV. n. CIII.

Obiic. II. Si ne fidei quidem initium sine gratia obtineri potest; iustam habebunt excusationem qui non credunt, quum istis vel numquam praedicatum fuerit Evangelium,

vel defuerit interior gratia, qua ad credendum moverentur. Ergo fidei initium naturae viribus comparari potest.

Respondet S. Augustinus: *Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui iudicat, sive qui non iudicat: quia et ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati. Ergo in utrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio. Ideo autem divina Eloquia eos inexcusabiles dicunt, qui non ignorantes, sed scientes peccant, ut secundum iudicium superbiae suae, quo multum confidunt de viribus propriae voluntatis, se inexcusabiles videant, quia de ignorantia iam non habent excusationem, dum non est iustitia, cui praesumebant sufficere voluntatem.* Ep. CXCIV. ad Sixtum. nn. 27. 28.

Prop. II.

Existit gratia, cui humana voluntas resistit.

Prob. I. Scriptur. Quid enim significant illa Christi verba: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent;* Matth. XI. 21. nisi Corozain, et Bethsaidam gratiae divinae ipsis concessae, qua peccatorum poenitere potuissent, restitisse? Quid vero illa Diaconi Stephani increpatio: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis;* Actor. VII. 51. nisi Iudaeos et Evangelicae praedicationi auribus, et interiori gratiae Sancti Spiritus cordibus resistere? Quid demum illae cohortationes: *Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* II. Cor. VI. 1. *Contemplantes, ne quis desit gratiae*

Dei. Hebr. XII. 15. nisi gratiam dari, cui humana voluntas resistit?

Prob. II. Patribus. De iis enim, qui S. Augustinum antecesserunt ne minimum quidem dubitant Adversarii. S. Augustinus vero hanc veritatem aperte docet his verbis: *Si post Baptismum vixerit* (infans) *atque ad aetatem capacem praecepti pervenire potuerit, ibi* (scilicet in ea aetate) *habet cum qua pugnet* (concupiscentiam nempe) *eamque Deo adiuvante superet, si non in vacuum gratiam Dei susceperit, si reprobatus esse noluerit.* De peccat. meritis et remiss. Lib. I. c. XXXIX. num. 69.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim declarat Arausicana II. Synodus: *Credimus, quod, accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et operante, quae ad salutem pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare velint, adimplere* Can. 25. In hac nimirum declaratione non modo Christi auxilium, gratiam scilicet, sed etiam voluntatis consensio-

nem nominat. Sicut ergo sine Christi auxilio divina praecepta impleri non possunt, ita potest homo Christi auxilio resistere, et praecepta, si laborare nolit, non adimplere. Eandem veritatem tradit Tridentinum Concilium, ubi de perseverantiae dono loquitur. *Deus enim*, inquit, *nisi ipsi* (homines nempe iustificati) *illius gratiae defuerint*, *sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle, et perficere.* Sess. VI. de Iustif. cap. XIII. Deinde Canone V., quem pag. 134. retulimus, liberam hominis voluntatem gratiae illam excitanti et moventi assentire, nec non ab ea dissentire posse aperte definit. Demum hanc Iansenii propositionem » Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur » damnarunt Innocentius X. et Alexander VII.

Prop. III.

Peccata omnia etiam venialia in tota vita evitare, nisi ex speciali privilegio, non potest homo semel iustificatus.

Prob. I. Scripturis. Aït enim Psalmista: *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus.* Psalm. XXXI. 6. Et Ioannes inquit: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* I. Ioan. I. 8. Utramque Scripturarum sententiam complexus advertit S. Augustinus: *Non ergo omnis peccator; sed omnis sanctus: Vox enim sanctorum est:* » *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* » De peccator. meritis, et remiss. Lib. II. cap. VII. Eandem veritatem comprobant illa Scripturarum verba: *Non est homo qui non peccet.* II.

Paralip. VI. 36. Scilicet peccant etiam iusti, non graviter, sed leviter. Item *In multis offendimus omnes.* Iacob. III. 2. Ergo etiam iusti. At iusti graviter non offendunt; alioquin iusti non essent. Itaque venialiter.

Prob. II. Patribus. Sic enim scribit S. Augustinus: *Tria sunt, quae maxime adversus Pelagianos defendit Ecclesia; quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, alterum est in quantacumque iustitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere; tertium est obnoxium nasci hominem peccato primi hominis.* De dono Persev. cap. II. n. 4. Et alibi: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, quum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem, inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum: hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos, et Sanctas,*

quum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod iste (Pelagius) *dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: » Si diximus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est »? An illud humilius responderent fortasse, quam verius?...... Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum; quod humilitate quia faterentur, veritas in eis esset: si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum; quia veritas in eis non esset,* De Nat. et Grat. contra Pelagium cap. XXXVI. n. 42. Eandem doctrinam tradit adversus Pelagium S. Hieronymus: *Quamdiu,* inquit, *ille finis adveniat........ necesse est nos subiacere peccato, non naturae et conditionis, ut calumniaris, vitio* (naturali scilicet necessitate), *sed fragilitate, et commutatione volunta-*

tis humanae , quae per momenta variatur. Lib. II. contra Pelagian. n. 30. col. 766. T. II. Ed. Vallars.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Ita enim declaravit Tridentina Synodus : *Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia , anathema sit.* Sess. VI. Can.XXIII.

Prob. IV. rat. Theologica, quae ut plene intelligatur , animadvertendum est heic non de absoluta potentia, sed de morali sermonem institui. Absolute enim posse hominem Dei gratia adiutum peccata omnia etiam venialia vitare dubitari nequit. *Nam qui dicunt,* ad rem S. Augustinus , *esse posse in hac vita hominem sine peccato , non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus , et hominis libero arbitrio , qui hoc volendo appetit , et Dei virtuti , vel misericordiae, qui hoc adiuvando efficit , derogabimus. Sed alia quaestio est, utrum esse possit; alia , utrum*

sit ; alia si non est, quum possit esse, cur non sit ; alia, utrum qui omnino numquam ullum peccatum habuerit, non solum quisquam sit, verum etiam potuerit aliquando esse vel possit. In hac quadripartita propositione quaestionum si a me quaeratur, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam, et liberum eius arbitrium. De peccator. merit. et remiss. Lib. II. cap. VI. n. 7. Hoc autem, quod absolute facere potest homo, ordinariis gratiae auxiliis in praesenti vita nullus facit (ut iam ostendimus, et ipsemet S. Augustinus demonstrat secundae quaestioni a se propositae respondens). ob ignorantiam, et infirmitatem, *quae impediunt voluntatem*, ut idem S. Augustinus animadvertit tertiae quaestioni respondens, *ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum* ibid. cap. XVII. n. 26. Quam sane causam etiam S. Thomas exponit his verbis : *Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferio-*

ris appetitus sensualitatis , cuius motus singulos quidem ratio reprimere potest , et ex hoc habent rationem peccati , et voluntarii ; non autem omnes , quia dum uni resistere nititur alius insurgit , et quia ratio non potest esse semper pervigil. 1. 2. qu. CIX. art. VIII.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Iustificati , quum filii Dei per gratiam fiant , nec peccant , nec peccare possunt. Ait enim Ioannes : *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit , quoniam semen ipsius in eo manet ; et non potest peccare , quoniam ex Deo natus est.* Ep. I. cap. III. v. 9.

Resp. Iustificati , quatenus filii Dei sunt , nec peccant, nec peccare possunt; sed quatenus filii Adae peccare possunt , et peccant , quia ignorantia , et infirmitas remanet adhuc in praesenti vita etiam post iustificationem. *Non enim ex qua hora quisque baptizatur , omnis vetus infirmitas eius absumitur : sed*

renovatio incipit a remissione omnium peccatorum, et in quantum quisque spiritalia sapit qui iam sapit. Cetera vero in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, usque ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis, et incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum, sed excepto corpore, si in ipso animo qui est homo interior perfecta in Baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus» Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem » (II. Cor. IV. 16.) *Profecto enim qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus; et in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est ....Proficimus ergo in renovationem, iustamque vitam per quod filii Dei sumus, et per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud, quod adhuc filii saeculi sumus; per hoc enim et peccare adhuc possumus* De peccator. merit. et remiss. Lib. II. capp. VII. VIII. nn. 9. 10.

Obiic. II. Nihil imperat Deus, quod fieri non potest. Atqui iubet Deus nos esse perfectos, id est peccata omnia etiam venialia vitare; siquidem ait: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Matth. V. 48. Ergo peccata omnia etiam venialia vitare possumus.

Resp. Absolute peccata omnia etiam venialia evitare possumus; ut iam animadvertimus, ideoque iuste et recte id nobis imperat Deus; ob ignorantiam vero, et infirmitatem, quae non ex Deo, sed ex culpa originem ducunt, non possumus, atque ideo vere peccata sunt. *Hoc modo*, addit S. Augustinus, *etiam dici potest, cur primis illis hominibus iusserit* (Deus), *qui duo soli erant quod sciebat eos non esse facturos?.....Iussit, quia sicut sciebat quid iustitiae facturi non erant, ita etiam sciebat quid iustitiae de illis erat ipse facturus. Eo modo ergo iubet omnibus hominibus, ut non faciant ullum peccatum, quamvis sit praescius neminem hoc impleturum, ut quicumque impie ac damnabiliter eius*

praecepta contemserint ipse faciat in eorum damnatione quod iustum est; quicumque autem in eius praeceptis obedienter, et pie proficientes, nec tamen omnia quae praecepit implentes, sicut sibi dimitti volunt, sic aliis peccata dimiserint, ipse faciat in eorum mundatione quod bonum est. Quomodo enim dimittitur per Dei misericordiam, si peccatum non est? aut quomodo non vetatur per Dei iustitiam, si peccatum est.? De peccat. merit. et remiss. Lib. II. cap. XVI. n. 23.

PROP. IV.

Homini iustificato non deest gratia, qua Dei praecepta implere possit.

Prob. I. Scripturis Quod enim dicit David, quivis instificatus homo dicere potest: *Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.* Psalm. XVII. 30. Deus scilicet iustum hominem gratia sua corroborat, ne tentationi succumbat, et impedi-

menta quae a spiritalibus hostibus inferuntur superet. *Fidelis quippe Deus*, inquit Apostolus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed facit etiam cum tentatione proventum*, graece ἐκβασιν evasionem, *ut possitis sustinere*. I. Cor. X. 13. Deus ergo gratiae auxilio vires suppeditat, quibus tentationem vincat, et ex ea felici successu evadat iustus homo. Praedictis Scripturarum sententiis similes sunt, quae sequuntur: *Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me*. Psalm. CXVII. 13. *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*. Rom. VIII. 37. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*. I. Cor. XV. 57. et aliae eiusmodi.

Prob. II. ex S. Augustino, qui contra Pelagium ostendens iustificatos quoque Dei gratia indigere, ne iterum in peccatum labantur ita scribit: *Mala nostra non ad hoc solum supernus Medicus sanat, ut illa iam non sint; sed ut de cetero recte ambulare*

possimus ; quod quidem etiam sani nonnisi illo adiuvante poterimus........ Ipse autem Deus, quum per Mediatorem Dei et hominum hominem Iesum Christum, spiritaliter sanat aegrum, vel vivificat mortuum, id est iustificat impium, et quum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam, iustitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper iusteque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere: sic et homo etiam perfectissime iustificatus, nisi aeterna luce iustitiae divinitus adiuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut praestet etiam ne peccemus. De Nat. et Grat. cap. XXVI. n. 29.

Prob. III. Ecclesiae Catholicae auctoritate. Docet enim Tridentina Synodus: *Nemo temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce utatur, Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iu-*

bet, sed iubendo monet facere quod possis, petere quod non possis, et adiuvat ut possis. Sess. VI. cap. II. Et postea: *Si quis dixerit Dei praecepta homini etiam iustificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Ibid. can. XVIII. Illam praeterea Iansenii propositionem: *Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*, damnavit Innocentius X.

Obiecta Diluuntur.

Obiicit I. Iansenius citato canone XVIII. non demonstratam Catholicam doctrinam de gratia iustis omnibus praestita, qua praecepta divina implere possint; sed aliam, nempe illam, quae Protestantium errorem de concupiscentia omnia iustorum opera ita inficiente, ut ea vere peccata sint, declarasse Tridentinam Synodum.

Resp. Id omnino falsum est. Protestantium enim error, quem damnare Tridentinam Synodum Canone XVIII. dicit Iansenius, damnatur Canone XXV. Itaque frustra eundem errorem duplici Canone damnasset Synodus, quod numquam fecit. Deinde vetustiorum Patrum anathema citant Tridentini Patres, at illi errorem ipsorum aetate posteriorem certe non damnarunt, sed antiquiorem, Manichaeorum haeresim, veteris nempe Testamenti Deum malum fuisse, quod impossibilia praeciperet. Demum illa Tridentini verba, Deum nempe iustos homines monere, ut faciant quod possunt, et petant quod non possunt, atque iuvare, ut possint non ad concupiscentiam, quae iustorum opera iuxta Pseudo-Reformatorum errorem ita commaculat, ut peccati rationem habeant; sed ad gratiam, qua iuvantur ut bene agere possint, spectant, ut quisque videt.

Obiicit II. Iansenius illam Augustini sententiam, Deum non deserere, nisi deseratur, ita intelligendam, ut Deus *habitualem gratiam*,

non auferat; non vero *actualem gratiam* praestet.

Resp. Id quoque falsum prorsus est. Apertissime enim *habitualis gratiae* conservationem ab *actualis gratiae* subministratione distinguit Augustinus. Nimirum quod ait Deum efficere, ut de *cetero recte ambulare possimus*, non ad *habitualem*, sed ad *actualem gratiam* pertinet; addit enim ne sanos quidem sine hoc Dei auxilio recte nos ambulare posse, ideoque praeter *habitualem* gratiam, qua sani sumus, *actuali* Dei adiutorio indigere, ut recte ambulare possimus. Id autem evidentissimo oculi exemplo confirmat; perfecta enim oculi sanitas *habitualem gratiam*, qua sani sumus, indicat; candor vero lucis, qui, ut oculus iam sanus videat, requiritur, *actualem gratiam* ad bene agendum necessariam apertissime ostendit.

SECTIO III.

De gratia habituali, seu iustificante.

Quae circa iustificationem docet Catholica Ecclesia vel eius indolem, vel praeparationem ad eam obtinendam, vel eiusdem fructus spectant, ut iam ante diximus.

Quod ad iustificationis indolem

Prop. I.

Non in sola peccatorum remissione, quae peccata tantum radat, aut iustitiae Dei, vel Christi imputatione, consistit iustificatio; sed in gratia et charitate, quae per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur, eisque intrinsecus inhaeret, et peccata vere ac proprie delet.

Prob. I. Scripturis. Nam haec se facturum promittit Deus per Ezechielem apertis, ac praecisis verbis: *Effundam super vos aquam*

mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.......Et dabo vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis. XXXVI. 25. et seqq. Atqui aqua munda, quae omnem maculam abstergit, dici non potest exterior iustitiae Dei, vel Christi imputatio, quae spiritum interius nullo modo afficit, ideoque nullam maculam ab eo aufert; ne dici potest quidem exteriori hac imputatione cor lapideum auferri, dari cor carneum, cor novum effici, et alia eiusmodi, quae se facturum pollicetur Deus per Ezechielem. Ergo per iustificationem vere et proprie delentur peccata, interior et animo inhaerens iustitia confertur. Quae per Ezechielem promittuntur, magis magisque aliis, quae sequuntur Scripturarum testimoniis, confirmantur. *Cor mundum*, inquit Psalmista, *crea in me Deus, et spiritum rectum inno-*

va in visceribus meis. Psalm. 4. 12. Quid enim est cor mundum creare, nisi in cor ipsum munditiam infundere? Quid vero spiritum rectum in visceribus innovare, nisi spiritum ipsum peccati vetustate spoliare, et per gratiam interiorem, et novam iustitiam totum commutare? *Lavamini, mundi estote*, sic apud Isaiam, *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere...... Et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* I. 17. 18. *Ipse enim* (Deus scilicet, scribit Malachias) *quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos, quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* III. 2. 3. In Novo autem Testamento: *Renovamini autem*, sic Paulus, *spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum*

Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis. Ephes. IV. 22. De novitate scilicet, quae spiritum intrinsecus afficiat, et de iustitia, et sanctitate vera, non de externa, et adventitia loquitur Apostolus. *Et haec quidem fuistis*, ait idem Apostolus discrimen docens quod inter hominem peccato infectum, et hominem iustificatione mundatum intercedit, *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* I. Cor. VI. II. Per lavationem nimirum labes omnis, et macula eluitur ac deletur; et iustificatio, quae non solum in nomine Christi, sed etiam in Spiritu Dei fit, non alia potest esse, quam interior, et propria, illa nempe, quam ipsemet Apostolus per effusionem Sancti Spiritus, et charitatis eiusdem Spiritus Sancti, qui datus est nobis, diffusionem in cordibus nostris effici adfirmat his verbis: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti: quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvato-*

rem nostrum, ut iustificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae. Phil. III. 5. et seqq. Et: *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum.... Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Rom. V. 1. 5.

Prob. II. Patribus: Sic namque S. Augustinus: *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio.* Enchirid. Cap. LII. Item alibi: *Quae natura quum a suo conditore iustificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam.* De Trinitate Lib. XV. Cap. VIII. Alibi etiam: *Legimus iustificari in Christo qui credunt in eum, propter occultam communicationem et inspirationem gratiae spiritalis.* De peccator. merit. Lib. I. Cap. X. Nec aliter S. Ambrosius: *In eo iustificatio Dei est, si non ad indignos et obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos, vi-*

deatur, et iustos sua munera transtulisse. Lib. VI. in Luc. n. 1. col. 891. T. II. Opp. Venet. 1748. Consentit. S. Hieronymus: *Nunc mundus factus es in lavacro, et de te dicitur: Quae est ista, quae ascendit dealbata? ut lota quidem sit, sed custodire non valeat puritatem, nisi a Domino sustentetur.* Advers. Pelagianos, Lib. III. n. 16. pag. 787. T. II. Opp. Ed. Vallars. Concinit S. Cyrillus Alexandrinus: *Sanctos esse dicimus eos, qui per Spiritum revera sunt sanctificati, atque ita divinae naturae participes sunt redditi.* De S. Trinitate, Dialog. VI. pag. 589. T. V. Opp. P. I., Lutetiae 1638.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim de iustificationis natura et causis in adultis hominibus loquitur Tridentina Synodus: *Quae* (iustificatio) *non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum. Unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus; ut sit haeres secundum spem*

vitae aeternae..... Unica formalis causa (iustificationis) *est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae; et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes.* Sess. VI. cap. VII. Deinde Catholicam doctrinam sic definit: *Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam qua iustificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* Ibid. Can. XI. De infantium vero iustificatione eodem modo Catholicam doctrinam declarat: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habeat; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.*

Prob. IV. rat. Theolog. Primum enim iu-

stificare et sanctificare nihil aliud quam iustum, et sanctum facere significat. Nimirum *iusti*, et *sancti in* Scripturis appellantur iustificati homines. Veram ergo, et propriam iustitiam habent. Deinde peccatorum maculas non abstergit *imputativa iustitia*, sed tantum tegit. At Scriptura *immaculatos* vocat eos, qui iustificationem obtinent; nam *elegit nos* (Deus) *in ipso* (Christo), *ut essemus sancti, et immaculati in charitate*, inquit Apostolus, Ephes. I. 4. Ergo vera, et propria est iustitia quam adipiscuntur. Praeterea absonum prorsus, et absurdum est illos a Deo reputari iustos, sanctos, immaculatos, qui adhuc in peccatorum sordibus iacent. Vel enim sordes ipsas non videt Deus, vel amat. Denique meritorum Christi satis infirma esset virtus, si peccatum delere nullo modo posset. Nec maiori potest affici iniuria Christi passio, et mors, quam afficitur Pseudo-Reformatorum imputativa iustitia; per hanc nempe nihil aliud effecisset divini Verbi sacrificium, quam in peccatorum sordibus hominem retinere, et confirmare, nec non

peccatis patrandis ampliorem, et securiorem viam aperire, siquidem quantalibet peccata, modo in fide firmus sit peccator, iustitiam ab eo non auferunt: quid vero hac blasphemia magis impium, ac infinitae Dei bonitati magis iniuriosum?

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Hominis iustificationem sic explicat Psalmista: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Deus peccatum.* Psalm. XXXI. 1. 2. Ergo per imputativam iustitiam remittuntur peccata, et iustificatur homo.

Resp. Pseudo-Reformatorum interpretationem absurdam demonstrant tum alia Scripturarum testimonia, quae iam citavimus, ac praesertim ipsius Psalmistae, qui alibi spiritum ab iniquitate lavari, peccata deleri, iisque deletis cor mundum fieri aperte confitetur; tum ipsamet ratio: nihil enim Deum latere potest, cuius *oculis omnia nuda et*

aperta sunt (Hebr. IV. 13.) nihilque potest aliter quam est videre Deus ipse. Peccata igitur remittere, ac tegere non aliud quam abolere, ac delere significat. Ad rem S. Augustinus: *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt...... Nec sic intelligatis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant.* In Psalm. XXXI. Enarrat. II. n. 9. Itaque illud tegit Deus, quod delet; illud non imputat, quod amplius non est, ut ostendit idem Psalmus verbis, quae subiungit: *Nec est inventus in spiritu eius dolus.*

Obiic. II. Christo facit iniuriam, qui iustitiam hominis propriam admittit; quare aiebat Apostolus: *Non habens meam iustitiam, quae ex Lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Iesu; quae ex Deo est iustitia in fide.* Philipp. III. 9. Reiicienda ergo iustitia, quam Catholici in homine ponunt, et sola Christi iustitiae per fidem imputatio admittenda.

Resp. Nullam facit Christi iustitiae iniuriam, qui iustitiam hominis propriam, sed a Deo, ob Christi iustitiam, illi communicatam, ad-

mittit. Immo Christi iustitiae infinitam virtutem profecto agnoscit, et exaltat, qui per illam nobis veram et propriam iustitiam conferri fatetur. Quod igitur ex Apostolo obiiciiunt, Catholicam de iustificatione doctrinam non modo non infirmat, verum etiam magis magisque confirmat. Iustitiam enim excludit Paulus, quae ex Lege est, non illam, quae ex Deo est in fide per charitatem *formata*, ut alibi fusius explicat idem Apostolus Legis iustitiam reiiciens, et solam iustitiam in fide positam, quae per charitatem operatur, penitus recognoscens. Sic namque ratiocinatur: *Evacuati estis a Christo qui in Lege iustificamini; a gratia excidistis: nos enim spiritu ex fide spem iustitiae expectamus; nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur.* Gal. V. 4. et seqq.

Obiic. III. De Christo verbo faciens Apostolus ait: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.* I. Cor. I. 30. Ergo iustitia nostra

nihil aliud est, nisi Christi iustitia nobis imputata.

Resp. Christum eo sensu factum esse nostram iustitiam, et sanctificationem, quod ipse scilicet iustitiae nostrae fuerit *causa*, *et efficiens, et meritoria*, Apostoli contextus evidenter ostendit. Si enim Christi iustitia et sanctitas nobis imputata nos *formaliter* iustos, et sanctos efficeret, ut contendunt Adversarii; Christi sapientia nos **formaliter** sapientes, et Christi redemptio nos *formaliter* redemptores efficeret, quod sane absurdum esse nemo non videt. Sicut ergo Christi sapientia, et redemptio sapientiae et redemptionis nostrae *causa efficiens, et meritoria* fuit, quia per ipsius sapientiam et redemptionem nos et sapientes et redempti sumus: sic iustitiae, et sanctitatis nostrae Christi iustitia, et sanctitas *causa efficiens et meritoria* est; quia per eius iustitiam, et sanctitatem iusti et sancti nos efficimur.

Obiic. IV. Iustitiam nostram Christi peccato comparat Apostolus dicens: *Eum* (Christum scilicet), *qui non noverat peccatum, pro*

nobis peccatum fecit (Deus) *ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso* II. Cor. V. 21. At Christus nonnisi peccatorum nostrorum imputatione factus est peccatum. Ergo nonnisi Dei iustitiae imputatione iusti nos efficimur.

Resp. Peccatum in citata Apostoli sententia dicitur victima pro peccato, ut in illo Osee testimonio: *Peccata populi mei comedent* (Sacerdotes) IV. 8. non enim delicta comedere poterant certe Sacerdotes. Eodem modo in Christo nullum delictum esse poterat ideoque eo sensu intelligenda sunt Apostoli verba, quod victima pro peccatis nostris factus fuerit a Deo Christus. Sicut ergo vere et proprie victima pro peccatis nostris factus est a Deo Christus; ita vere et proprie per Christi merita iusti et sancti nos a Deo efficimur. Itaque nihil, quod iustificationi secundum Catholicam doctrinam opponatur, continent obiecta Apostoli verba.

Quod vero ad iustificationis praeparationem.

PROP. II.

Fides sola non iustificat.

Prob. I. Scripturis, quae fidem sine charitate nihil esse adfirmant. Sic loquitur Apostolus: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero..... nihil sum* I. Cor. XIII. 2. Docent quoque fidem sine operibus, homini non prodesse, et mortuam esse. *Quid proderit, fratres mei*, scribit Iacobus, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum?.... Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa....vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est?.... Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum.* II. 14. et seqq. Quae Iacobi verba nullo modo ad suam sententiam detorquere valentes Adversa-

rii, Iacobi epistolam canonicam non esse contendunt. At talem esse iam demonstravimus in Tract. de Loc. Theolog. Praeterea dilectioni coniunctam esse peccatorum remissionem in Evangelio legimus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. VI. 47. et contra sine dilectione in morte manere hominem advertit Ioannes: *Qui non diligit manet in morte.* Ep. I. cap. III. 14.

Prob. II. Patribus. Sic enim S. Augustinus: *Quoniam ergo haec opinio* (fidem scilicet ad salutem obtinendam satis esse sine operibus). *tunc fuerat exorta, aliae Apostolicae epistolae Petri, Ioannis, Iacobi, Iudae contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant fidem sine operibus non prodesse; sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cuius opera ex dilectione procedunt. « Fides, inquit, quae per dilectionem operatur ». Unde illam fidem, quae sufficere ad salutem qui-*

busdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: « Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum ». De Fide, et Operibus cap. XIV. n. 21. Et alibi: *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non et prodesse. Etiam daemones credunt, et contremiscunt.* De Trinit. Lib. XV. cap. XVIII. Chrysostomus item: *Fides sine operibus, figura tantum est sine virtute, merito sic dicta. Ut enim corpus pulchrum ac venustum virtute destitutum, picturae simile est; sic fides recta sine operibus. Supponamus enim esse quempiam pecuniae cupidum, proditorem, petulantem, qui recte credat. Quae utilitas, si nihil habeat eorum quae Christianum decent, si nihil agat eorum, quae pietatem prae se ferunt, sed gentiles impietate superet, si ad sociorum perniciem, ad Deum blasphemandum natus sit?* Homil. VIII. in Ep. ad Tim. n. 1. pag. 707. T. XI. Opp. Paris. 1734. Hieronymus autem in illud Apostoli ad Galat. (III. 12.) *Iustus ex fide vivit,* haec adno-

tavit : *Considerandum , quia non dixerit , homo aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda; sed* iustus ex fide vivit : *ut quicumque fidelis esset , et per fidem victurus , non aliter posset ad fidem venire , vel in ea vivere , nisi prius iustus fuisset , et puritate vitae quasi quibusdam ad fidem gradibus ascendisset.* Commentar. in Ep. ad Galat. Lib. II. col. 432. T. VII. Opp. Ed. Vallars. Item: *In Christo Iesu nec circumcisio valet , nec praeputium corporale, ... sed fides quae per caritatem operatur , ut et fides , quae reputata est Abrahae in iustitiam , comprobetur , et omne opus fidei in caritate ponatur...... Quomodo autem, iuxta Apostolum Iacobum fides absque operibus mortua est ; sic absque fide , quamvis bona opera sint, mortua computantur.* Ibid. Lib. III. col. 482. 483.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Ita namque definivit Tridentina Synodus : *Si quis dixerit sola fide impium iustificari.... anathema sit.* Sess. VI. de Iustif. Can. IX.

Prob. IV. rat. Theolog. Si hominem iustum efficeret sola fides, in Regnum Dei ingredi possent etiam avari, fures, adulteri, uno verbo scelesti omnes, modo fidem non abiicerent. Atqui hoc falsum, et absurdissimum. Falsum scilicet, quia manifeste dicit Scriptura: *An nescitis, quia iniqui Regnum Dei non possidebunt. Nolite errare: neque fornicarii....neque adulteri....neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt* I. Cor. VI. 9. 10. Absurdissimum vero, quia infinitae Dei sanctitati repugnat iniquos et scelestos homines praemio, et quidem amplissimo, afficere.

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. Sola fide sine operibus iustificari hominem non semel, sed saepissime adfirmat Scriptura. *Qui credit in Filium habet vitam aeternam*, Ioann. III. 36. *Ipse* (Deus scilicet) *iustus, et iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi..... Arbitramur*

enim iustificari hominem per fidem sine operibus Legis. Rom. III. 26. 28. *Quicumque credunt in Christum accipient remissionem peccatorum.* Act. X. 43. *In Christo omnis, qui credit, iustificatur* Act. XIII. 39. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum* Rom. III. 22.

Resp. citata Scripturarum testimonia, aliaque permulta his similia, quae obiiciunt Adversarii, de fide vera, charitati scilicet coniuncta, non de mortua, a charitate nempe seiuncta, loquuntur; quod quidem evidenter ostendit Paulus, quum fidem, quae in Christo Iesu ad hominem iustificandum valet, eam esse dicit, quae per charitatem operatur, ac praeterea Deum *unicuique* redditurum *secundum opera eius*, quia *factores Legis iustificabuntur.* Rom. II. 6. 13. Opera igitur, quae de iustificatione pertractans excludit Scriptura, ea sunt, quae vel liberi arbitrii solis viribus fiunt, vel in sola exteriori Mosaicae Legis ritualis effectione consistunt, non vero ea, quae per charitatem

efficiuntur. Deinde quod nobis obiiciunt argumentum ex iam citatis Scripturarum sententiis adversus ipsos retorquere optime possumus. Aliis enim virtutibus singillatim, non secus ac fidei, impii iustificationem tribuunt Scripturae, ut timori, spei, tribulationi, ceterisque similibus; siquidem legimus: *Timor Domini expellit peccatum*, Eccl. I. 27. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth. IX. 2. *Momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis*. II. Cor. IV. 17. Itaque quemadmodum, secundum Pseudo — Reformatorum sensum, fides sola iustificat; sic etiam solum timorem, solam spem, solam tribulationem iustificare dicendum erit. Non ergo iustificat sola fides, sicut nec solus timor, nec sola spes, nec sola tribulatio; si desit charitas.

Prop. III.

Fides ad iustificationem obtinendam requisita non est, quam fingunt Pseudo-Reformati, fiducia.

Prob. I. Scripturis. Ait enim Apostolus: *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* Rom. X. 8. 9. Nimirum de fide Theologica loquitur Apostolus, siquidem de verbo fidei, quod ipse praedicabat, sermonem instituit, ac praecise de fide, qua pro certo exploratoque habemus Christum a morte resurrexisse, quam fidem et corde retinere, et ore confiteri ad iustitiam, et salutem obtinendam necessarium pronunciat. Hanc vero fidem, Theologicam nempe, iam ante docuerat Christus ipse illis verbis: *Praedicate*

Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Marc. XVI. 15. 16. Nam fides, qua Evangelio credimus, Theologica fides est. Item apud Ioannem legimus: *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et credentes vitam habeatis in nomine eius.* Ioann. XX. 31. Demum Eunucho Baptismum postulanti his verbis: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet; et respondens* (Eunuchus) *ait; Credo Filium Dei esse Iesum Christum.* Act. VIII. 36. 37. Ergo fides ad iustificationem acquirendam necessaria ea est, qua inter cetera divinae Incarnationis mysterium pro certo habetur, scilicet fides Theologica, non vero Pseudo-Reformatorum fiducia, qua peccator sibi remissa esse peccata ob Christi merita ne minimum quidem dubitat.

Prob. II. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic namque veritatem hanc declaravit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam*

divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum . . . . . . anathema sit. Sess. VI. de Iustif. Can. XVI.

Prob. III. rat. Theolog. Ac primo nullum legimus Scripturae testimonium, quod nos fidem sensu Pseudo—Reformatorum doceat; immo contrarium aperte docet Scriptura, siquidem nemo, sine speciali divina revelatione, *infallibili* firmitate sibi peccata esse remissa scire potest, ut mox demonstrabimus. Deinde a fide spem distinguit Scriptura: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec.* I. Cor. XIII. 13. At Pseudo-Reformatorum fides nihil aliud est, quam indubitata et infallibilis fiducia, seu spes. Demum sine fide Theologica nullo modo stare potest spes; nullus enim in Christi meritis fiduciam suam collocare potest, nisi Christum pro peccatis expiandis passum, mortuum, resuscitatum Theologica fide credat. Ergo fides Theologica ad iustificationem recipiendam requiritur.

Obiecta Diluuntur.

Obiic. I. Fiducia certa, et indubitata demonstratur iustificationis causa illis Christi verbis ad paralyticum: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth. IX. 2. aliisque eiusmodi sententiis, quae saepe occurrunt in Evangelio.

Resp. Illa Christi verba fiduciam divinae misericordiae ad iustificationem percipiendam esse quidem necessariam, sed non unicam ipsius iustificationis causam ostendunt; siquidem alias quoque animi dispositiones requirit Scriptura ipsa, ut iam animadvertimus. Ideo autem saepe in Evangelio talis fiducia excitatur, quod Christi divinitas, eiusque infinita potestas maxime omnium tunc temporis inculcanda erat. Praeterquam quod si *infallibili* firmitate sibi peccata remitti confidit Paralyticus, optime quidem, quum id ore sio promittebat Christus. At sine hac speciali divina revelatione quis *infallibili* firmitate peccatorum remissionem sibi concessam fuisse praesumat?

Obiic. II. Sic de Abrahami fide, et iustificatione per fidem obtenta, loquitur Apostolus: *In promissione Dei non haesitavit diffidentia; sed confortatus est fide....... plenissime sciens quia quaecumque promisit potens est et facere, ideo et reputatum est illi ad iustitiam.* Rom. IV. 20, et seq. Ex hac Apostoli sententia triumphum agere arbitrantur Adversarii. Aiunt enim Apostolum Abrahami iustificationem in eius firmissima fiducia reposuisse.

Resp. Fidem, quam in Abrahamo commendat Apostolus, Theologicam esse, atque ex ea vires et initium sumpsisse ipsius fiduciam, nemo non videt. Ideo enim tanta constantia in Dei promissione confidit, quia Deum Omnipotentem, et veracissimum credidit. Quae autem Abrahamo facta fuerat ab ipso Deo promissio, cuilibet peccatori facta non est: ideoque sibi remissa fuisse peccata *infallibili* firmitate pro certo habere non potest quilibet peccator.

P R O P. IV.

Aequalis non est in iustificatis omnibus accepta iustitia, utpote incrementi capax.

Prob. I. Scripturis. *Iustorum* enim *semita, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Prov. IV. 18. Ergo augeri potest iustitia. Quinimmo ut augeatur iustitia imperat Deus his verbis: *Qui iustus est, iustificetur adhuc; et sanctus sanctificetur adhuc.* Apoc. XXI. 11. Atque hoc iustitiae augmentum saepe inculcat Apostolus, qui haec scribit: *Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate.* Ephes. IV. 15. 16. Idem Philippensibus optat

Apostolus dicens : *Hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet.* I. 9. Ipsumque augmentum per Dei gratiam obtineri advertit, quum ait : *Augebit incrementa frugum iustitiae vestrae:* II. Cor. IX. 10. Paulo concinit Petrus : *Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Iesu Christi.* II. Ep. III. 18.

Prob. II. Patribus. Nimirum saepe id scribit S. Augustinus : *Iustificati sumus, sed ipsa iustitia, quum proficimus, crescit.* Serm. CLIX. de verb. Apost. cap. V. *Induti sunt Sancti iustitia, alii magis, alii minus.* Ep. CLXVII. cap. III. n.13. *Ipsi sancti in Ecclesia..... sunt alii aliis sanctiores, alii aliis meliores.* Tract. VI. in Ioan. n. 8. *Unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum?* Ep. CLXXXVII. Quod scilicet evenit per abundantiorem charitatem, ut explicat idem S. Augustinus, siquidem de charitate sic loquitur : *Quum fuerit nata, nutritur ; quum fuerit nutrita, roboratur ; quum fuerit roborata*

perficitur. Tract. V. in I. Ep. Ioan. cap. III. n.4. Et alibi: *Charitas ergo inchoata, inchoata iustitia est; charitas provecta, provecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.* De Nat. et Grat. contra Pelag. n.84. S. Augustino concinit S. Hieronymus: *Quare dicunt Apostoli*, inquit, « *Domine adauge nobis fidem* », *si omnium una mensura est*? Contra Iovin. Lib. II. n. 27. col. 367. T. II. Opp. Ed. Vallars.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Hoc enim definivit Tridentina Synodus illis verbis: ***Si quis dixerit iustitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam; anathema sit.*** Sess. VI. de Iustif. Can. XXIV.

PROP. V.

Iustificatio sine speciali revelatione iustificatum hominem « infallibili certitudine » nec iustitiae suae, nec perseverantiae in iustitia certum facit.

Prob. I. Scripturis, in quibus legimus: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Prov. XX. 9. *Pravum* (Hebraice עקב *fallax*) *est cor omnium et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes: qui do unicuique iuxta viam suam, et iuxta fructum adinventionum suarum.* Ierem. XVII. 9. 10. Quod adeo verum est, ut Paulus ipse iustitia et sanctitate praestantissimus dicere non dubitaverit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* I. Cor. IV. 4. Omnibus enim praescribitur: *De propitiato peccato noli esse sine metu; neque adiicias peccatum super peccatum.* Eccli. V. 5.

Prob. II. Patribus. Sic enim Apostoli verba, quae mox retulimus explicat S. Hieronymus: *Qui hoc dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat, sed quia legerat: « Delicta quis intelligit »?..... idcirco temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset.* Lib. II. contra Pelag. n. 3. col. 730. T. II. Opp. Ed. Vallars. Confirmat vero S. Augustinus: *Quanta abyssus sit audite amplius: » Neque enim ego me ipsum iudico » Tantam-ne profunditatem creditis esse in homine, quae lateat ipsum hominem in quo est?.... Ergo omnis homo, licet sanctus, licet iustus, licet in multis proficiens, abyssus est.* In Psalm. XLI. n. 13. Item S. Gregorius Magnus, qui sorori ipsum interroganti, utrum peccata sibi forent remissa, respondit: *Rem difficilem, et inutilem postulasti; difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes.* Epist. Lib. VII. Indict. XV. Ep. XXV. col. 869. T. II. Opp. Venet. 1744.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim hac de re loquitur Tridentina Synodus : *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest; qaum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum* Sess. VI. De Iustif. cap. IX. Deinde contrariam doctrinam anathemate percellit his verbis: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis, et indispositionis peccata sibi esse remissa; anathema sit.* Ibid. Can. XIII. Et amplius: *Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi, ac iustificari ex eo quod se absolvi ac iustificari certo credat; aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, et hac sola fide absolutionem, et iusti-*

ficationem perfici; anathema sit. Can. XIV. Plura, quae ad hanc ipsam doctrinam confirmandam et comprobandam pertinent, iam ante in medium attulimus pag. 32. et seq.

P R O P. VI.

Homo semel iustificatus amplius peccare potest.

Prob. I. Scripturis, quae iustificatum hominem peccare posse evidenter ostendunt. Haec enim legimus: *Si autem averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur....... Quum enim averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur.* Ezech. XVIII. 24. Et alibi: *Iustitia iusti non li-*

berabit eum in quacumque die peccaverit. XXXIII. 12. Deinde Apostolus sic de se scribit: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* I. Cor. IX. 27. Quod si tantus Apostolus ne reprobus fieret timebat, qua temeritate iustificatum hominem a iustitia excidere non posse adfirmant Adversarii? Saepe vero quosdam idem Apostolus commemorat, qui a fide, et iustitia desciscunt: *Habens fidem,* sic ad Timotheum, *et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* I. Ep. cap. I. 19. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide.* Ibid. IV. I. *Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Ibid. VI. 10. Itaque iustificati homines acceptam iustitiam amittere possunt. Praeterea innumeris exhortationibus Scriptura plena est, quibus iustificati homines excitantur, ne ab accepta iustitia elabantur; quae vanae prorsus, ac ridiculae essent, si semel

iustificatus homo a iustitia numquam excidere posset, ut dictitant Adversarii. Demum Davidis, Salomonis, Petri Apostoli, aliorumque plurium exempla, quae passim in Scripturis referuntur, iustitiam amitti posse abunde demonstrant.

Prob. II. Patribus. Sic enim inquit S. Augustinus: *Credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quae per dilectionem operatur, incipere vivere, et aliquandiu fideliter, et iuste vivere, et postea cadere.* De Corrept. et Grat. cap. XIII. n. 40. *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei: nonne utrique vocati fuerant..... utrique ex impiis iustificati?* De Dono Perseverant. cap. IX.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim definivit Tridentina Synodus: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui labitur, et*

peccat, numquam vere fuisse iustificatum .... anathema sit. Sess. VI. de Iustif. Can. XXIII.

Prop. VII.

Iustus bonis operibus per Dei gratiam, et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, factis vere meretur augmentum gratiae, vitam aeternam, atque etiam gloriae augmentum.

Prob. I. pars. Quod enim ad primam partem adtinet, iustitiam in iustificatis hominibus aequalem non esse, immo in eodem iusto homine per bona opera augeri ex iis, quae in Propositione IV. attulimus, satis patet. Nimirum quid ostendunt illa Scripturarum verba « iustorum semitam lucis instar procedere » iustum hominem amplius iustificari « iustum ipsum in Christo crescere » charitatem ipsius magis ac magis abundare « incrementa frugum iustitiae Deum augere » aliaque similia, nisi iustum hominem bonis

operibus, ut eius iustitia a Deo augeatur, promereri? His adde illa Davidis verba: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te* (per gratiam scilicet, sine qua nihil efficere possumus) *ascensiones* (iustitiae nempe incrementa) *in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Psalm. LXXXIII.6.7. Quae postrema verba sic S. Gregorius explanans ait : *Non mirum, si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa unaquaeque virtus quasi quibusdam gradibus augetur, et sic per incrementa meritorum ad summa perducitur.* Hom. XV. in Ezechiel. Eandem veritatem confirmat S. Augustinus illa Christi verba explicans » Si diligitis me, mandata mea servate, etc. » Ioan. XIV. 15. Sic enim ratiocinatur: *Quomodo igitur diligebant, nisi in Spiritu Sancto? Et tamen his prius imperatur, ut diligant eum, et eius mandata conservent, ut accipiant Spiritum Sanctum; quem nisi haberent, profecto diligere, et mandata servare non possent.*

Restat ergo, ut intelligamus Spiritum Sanctum habere qui diligit, et habendo mereri, ut plus habeat, et plus habendo plus diligat. Tract. LXIV. in Ioan. nn. 1. 2.

Prob. II. et III. pars I. Scripturis, quae vitam aeternam non solum *mercedem*, *coronam iustitiae*, *bravium* appellant, ideoque illam iustis pro bonorum operum merito debitam declarant; verum etiam meritorum proportione ipsam Deum redditurum aperte affirmant his verbis: *Ecce venio cito*, ait Christus, *et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Apoc. XXII. 12. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* I. Cor. III. 8. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunae, et alia claritas Stellarum. Stella enim a Stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum.* I. Cor. XI. 41. 42. Eadem propositio Scripturarum testimoniis, quae sequuntur, comprobatur: *Stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* I.

Cor. XV. 58. Quibus verbis non modo, ut in iustitia perseverent, sed etiam, ut bona opera multiplicent, ea ratione Corinthios monet Paulus, quod eorum labor non sit in Domino futurus inanis, ideoque mercedem obtenturus tanto maiorem, quanto magis abundaverit. *Non enim iniustus Deus*, addit Apostolus, *ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Hebr. VI. 10. *Nolite itaque*, concludit, *amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis* (in tribulationibus, et opprobriis perferendis, ut ex contextu patet) *necessaria est; ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Ibid. X. 35. 36. Atque adeo verum est bonis operibus pro merito mercedem Deum redditurum, ut adfirmaverit Christus ipse, ne minimum quidem charitatis opus propria mercede fraudandum fore. *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis; amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Marc. IX. 40. Quamobrem a

Paulo messi comparatur vita aeterna, quae cum seminis tenuitate, vel abundantia confertur his verbis: *Qui pace seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, etc.* II. Cor.IX.6. et seqq. De qua mercede secundum uniuscuique opera a Deo reddenda saepissime loquitur Scriptura.

Prob. II. Patribus. Sic enim, quod ad aeternae vitae meritum generatim, S. Cyprianus: *Praeceptis eius, et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* De Unit. Eccles. pag. 199. Paris. 1726. *Si iustus sit* (Deus), sic vero S. Ioannes Chrysostomus, *unicuique pro meritis reddit. Atqui videmus non omnes hic pro meritis recipere, proinde necesse est alteram nobis repositam retributionem speremus, ut quum pro meritis unusquisque receperit, appareat iustitia divina.* Homil. Daemones non gubern. Mund. n. 8. pag. 260. T. II. Paris. Ed. MM. Item alibi: *Si quid boni feceris, neque hic mercedem recipias, ne turberis, Cum additamento enim in futuro tempore te merces manet.* Homil. XXXIV. in Matth.

*

n. 3. pag. 393. T. VII. eiusd. Ed. *Non est iniustus Deus*, sic demum S. Augustinus, *qui iustos fraudet mercede iustitiae.* De Nat. et Grat. cap. II. n. 2. Quod vero ad variam secundum uniuscuiusque merita mercedem sic expresse docet S. Augustinus: *Etsi alius est alio iustior, alius alio sanctior*; » *in domo Patris mei mansiones multae sunt* ». *Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.* Tract. LXVII. in Ioan. n. 2. Et paullo post: *Quantum quisque fuerit particeps tui* (Domine) *alius minus, alius amplius; haec erit diversitas praemiorum pro diversitate meritorum; haec erit multitudo mansionum pro disparilitate mansorum, sed tamen omnium in aeternitate vivorum, et sine fine beatorum.* Tract. LXVIII. n. 3. Item S. Hieronymus: *Iam nostri laboris est pro diversitate virtutum diversa nobis praemia praeparare.* Lib. II. advers. Iovinianum. n. 32. col. 375. T. II. Ed. Vallars Et alio in loco idem Doctor: *Non est in praesenti retributio meritorum, sed in fu-*

turo. In Eccl. Cap.X. col.463. T. III. Opp. Ed. Vallars.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim doctrinam hanc declaravit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Iesu Christi meritum, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.* Sess.VI. de Iustif. Can. XXXII.

Prob. IV. rat. Theolog. Primo enim Christus in Scripturis *Legifer noster* appellatur Isai. XXXIII. 22. Atqui Legislatoris est praemia, et poenas pro meritis distribuere. Ergo bonis operibus non solum datur vita aeterna, ut praemium, sed etiam secundum earum numerum et excellentiam augetur. Secundo si pro maiori culparum numero, et deformitate, maiori poena punitur peccator, quod

certum exploratumque est iuxta illud: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*, Apoc. XVIII. 7. par aequumque est ut pro maiori bonorum operum numero et praestantia, maiori gloria afficiatur iustus. Tertio demum ubi, vel nulla mercede compensentur bona iusti opera, vel aequali praemio quaevis bona opera remunerentur; evanescet omnino bonorum operum studium. Atqui Christus *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, Graece ζηλωτὴν zelatorem, idest inexhausta aviditate, et alacritate in bonorum operum studium incumbentem Tit. II. 14.

Obiecta Diluuntur.

Obiic. I. In Scripturis vita aeterna appellatur gratia, et ex divina misericordia nobis tribui adfirmatur. Nimirum ita scribit Apostolus: *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita aeterna in Christo Iesu*

Domino nostro. Rom. VI. 23. Et Psalmista: *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus.* Psalm. CII. 4. Ergo bonis operibus non datur, tamquam merces.

Resp. Vita aeterna, quae in Scripturis merces, et corona iustitiae appellatur, non immerito, et vocibus invicem non contradicentibus, appellatur gratia et misericordia; siquidem Deus nulla necessitate, vel debito obstrictus, sed mera misericordia bonis operibus vitam aeternam pro mercede promisit; primam gratiam, qua iusti, et ad bona opera edenda idonei, efficimur, tribuit, nec non *operatur velle et perficere*, ac demum dat perseverantiam, quae est gratuitum Dei donum. Vide S. Augustinum de Gratia et Libero arbitrio capp. VIII. IX. n. 19. et seqq.

Obiic. II. Omnes omnino homines immundos appellat Scriptura, eorumque opera, etiam iusta, deformitatis et turpitudinis plena esse adfirmat. Commentum est ergo quodvis bonorum operum meritum. *Facti sumus, ut immundus,* sic in Isaia legimus, *omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae iu-*

stitiae nostrae. LXIV. 6. Quae Isaiae verba sic explicat S.Bernardus: *Nostra, si qua est, humilis iustitia, recta forsitan, sed non pura. Nisi forte meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter aiebant: « Omnes iustitiae nostrae tamquam pannus menstruatae mulieris ». Quomodo enim pura iustitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?* In Domin. I. Novembr. Serm. V. de Verb. Isaiae. n. 9. col. 237. Vol. II. Venet. 1726.

Resp. De peccatoribus, non de omnibus omnino hominibus, loquitur Isaias, ut ex contextu patet, ac praesertim ex verbis illis, quae continuo sequuntur: *Et cecidimus, quasi folium, universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos.* Ibid. Iustitias vero, non bona opera, quae ab homine iustificato per divinam gratiam fiunt, sed ea, quae vel naturae viribus, vel secundum Mosis legem a Iudaeis carnalibus, et incircumcisis cordibus sine Spiritus Sancti gratia fiunt, appellat Isaias; quae profecto opera iustum hominem non faciunt, nec vitam

aeternam mereri possunt. Subiungit enim Propheta : *Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te: abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostrae.* Ibid. 7. Nihil ergo contra Catholicum dogma probant Isaiae verba. Quod vero ad Bernardi interpretationem, haec bonorum operum meritum non excludit, sed tantum ostendit opera, quamvis bona, quatenus ab homine iustificato per divinam gratiam efficiuntur, ex parte tamen ipsius hominis, qui peccata omnia venialia in praesenti, vita ordinariis gratiae auxiliis vitare non potest, pura omnino non esse, et ex hac parte quasi immunda, et deformia, purissimis Dei oculis obiici. Quae quidem S. Bernardi verborum intelligentia cum ipsius Bernardi doctrina optime convenit. Bonorum enim operum, non secus ac malorum, meritum pluribus sententiis apertissime docet. Unam et alteram in medio proponamus. *Omne quod feceris*, inquit, *bonum, malumve, quod quidem non facere liberum fuit, merito ad meritum reputatur.* Serm. LXXXI. in Cantic. n. 6. col.

832. Vol. II. Venet. 1726. *Dei promissum appellat Apostolus suum depositum, ... promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex iustitia persolvendum.* De Gratia, et Lib. Arb. 6. Cap. XIV. n. 51. col. 629. et seq. Vol. I. Venet. 1726.

Obiic. III. Nullum dari potest meritum, ubi nulla est inter opera et praemium comparatio, ac proportio. At inter bona opera, et vitam aeternam nulla est comparatio, et proportio. Ergo vanum figmentum est bonorum operum meritum. Minor propositio illa Apostoli sententia mirifice comprobatur: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Rom. VIII. 18.

Resp. Falsum est inter vitam aeternam et bona opera nullam omnino esse comparationem proportionemque. Bonis enim operibus vitam aeternam pollicitus est Deus, et pollicitatione sua eam inter utrumque comparationem instituit, quam naturaliter non habent. Illud praeterea sedulo animadvertendum nullam esse inter vitam aeternam, et bona

opera comparationem, si opera ipsa in Naturae ordine considerentur. At, si spectentur in ordine supernaturali, prout scilicet ab homine per Spiritus Sancti gratiam iustificato, et actuali Spiritus Sancti gratia adiuto, efficiuntur, quae utraque gratia nonnisi per infinita Iesu Christi merita obtinetur, cui per Baptismum, ut membra capiti coagmentamur, et qui proinde operatur in nobis; inter bona opera, et vitam aeternam, simplex, et absoluta comparatio et proportio intercedit, ita ut iure meritissimo illud adfirmaverit Apostolus: *Quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* II. Cor. IV. 17.

CAPUT IV.

Ex Catholica doctrina iam exposita, ac demonstrata Corollaria derivantur.

Exposita iam, ac demonstrata Catholica doctrina, ex ea pro more Corollaria quaedam deducimus eodem ordine, quo demonstrationem absolvimus; atque idcirco tres quoque Sectiones Caput hoc comprehendet.

SECTIO I.

De Christi Gratia generatim, et universe spectata.

COROLLARIUM I.

Ex prima, quam demonstravimus, Propositione non solum confutatur Pelagiana haeresis, sed etiam plures Baii propositiones, quae Pelagii errorem vel continent, vel fovent. Tales sunt: *Nec Angeli, nec primi*

hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia. Prop. I. *Vita aeterna homini integro et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex Lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.* Prop. VI. *Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera; sed iuxta modum loquendi Scripturae Sacrae non recte vocantur gratiae; quo fit ut tantum merita, non etiam gratiae debeant nuncupari.* Prop. VII. *Humanae naturae sublimatio, et exaltatio in consortium divinae Naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis* Prop. XXII. et aliac huiusmodi, quae una cum ceteris iure meritoque damnarunt *ut in vigore, et proprio verborum sensu ab Adsertoribus intento, haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respective*, primum Pius V. deinde Gregorius XIII, ac demum Urbanus VIII. Vide, si lubet, Natalem Alexandrum Hist. Eccles. Saec. XV. et XVI. Cap. III. Art. XV.

Corollarium II.

Libero arbitrio, quod in homine, nec peccato originali destructum, nec gratiae viribus oppressum, superesse demonstravimus in secunda Propositione, adversatur non solum Pseudo-Reformatorum haeresis, sed etiam Baii, et Iansenii doctrina. Aiebat enim Baius: *Quod voluntarie fit, etiamsi in necessitate fiat, libere tamen fit.* Prop. XXXIX. *Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis; sed solum nomen libertatis a peccato.* Prop. XLI. Iansenius vero: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur* Prop. II. *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Prop. III. Quas Iansenii propositiones, ut haereticas, damnavit Innocentius X.

Corollarium III.

Ex argumentis, quibus contra Pelagium in Prop. III. demonstravimus gratiam non dari secundum merita nostra, consequitur neminem se posse ad gratiam praeparare sine gratia, aut gratiam mereri, ne merito quidem quod Scholae appellant de congruo, quidquid contra sentiant Durandus, Scotus, aliique. Horum enim sententia dicendi modo, quo utuntur Scripturae, Patres, Concilia, Arausicanum II. praesertim, et Tridentinum, adversatur. Vide etiam, si lubet, S. Thomam 1. 2. qu. CIX. art. 6. c. ubi probat, *quod homo non potest se praeparare ad lumen gratiae suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis.* Et verborum illorum » *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam* » sensum sic exponit: *Ad secundum dicendum, quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur secundum illud Ioannis. 15.* » *Sine me nihil potestis facere* ». *Et ideo, quum*

dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo. Vide Estium quoque in Senten. Lib.II. Dist. XXIV.§.XXXIV. et seq. Illud insuper animadvertendum nec negativae dispositionis, minoris scilicet indignitatis, in gratiae suae distributione rationem habere Deum; quod Tyriorum et Sydoniorum, Magdalenae, Latronis in cruce pendentis, Sauli, qui Christi Ecclesiam persequebatur, exempla demonstrant; confirmatque S. Augustinus his verbis: *Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia Christiana non possit?* Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? *Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis et facinoribus coopertus,*

ita gubernatur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, ac si detentus hic fuerit, laudabiliter hic vivat? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt, non dico, ut iste credat, ille non credat, quod est propriae voluntatis; sed ut iste audiat quod credat, ille non audiat? hoc enim non est in hominis potestate, ubi, inquam, haec tam diversa merita contraxerunt? .... Quid hinc respondeant, omnino non video, qui volentes humanis coniecturis iustitiam Dei defendere, et ignorantes altitudinem gratiae, fabulas improbabiles texuerunt. De Peccator. Merit. et Remiss. lib.I. Cap. XXII. n. 31.

COROLLARIUM IV.

Duo praesertim ex quarta Propositione colligere licet. Alterum scilicet merito damnatas fuisse illas Baii propositiones, nempe: *Omnia opera infidelium sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia.* Prop. XXVI. *Omne, quod agit peccator, vel servus*

peccati , peccatum est. XXXV. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* XL. Alterum vero, gratiam optimo iure in actualem, et habitualem seu sanctificantem distingui ex communi Theologorum sententia, contra Albertum Pighium, qui alia omnia sensit. Nimirum, etsi nomen habitus neque Scriptura, neque Patres, ubi de iustificatione sermonem instituunt, adhibeant; atque ab eo nomine consulto abstinuerint Viennenses, et Tridentini Patres, ne haereseos nota Pighium condemnarent: habitum tamen esse gratiam sanctificantem apertissime ostendunt. Quid aliud enim significant illae Scripturarum voces *infundi* scilicet, et *effundi* in nos per iustificationem Spiritus Sancti charitatem, nisi stabile ac permanens donum nobis conferri ? Idem praeterea significant *unctionis, unguenti, signaculi, seminis* vocabula, quibus Scriptura eandem materiam pertractans utitur. Nec aliter explicari potest, quod de iustificatis adfirmat Scriptura, eos nempe per gratiam divinae consortes naturae effici. Demum de iustificatione verba faciens

Christus, et iustificantem gratiam aquae comparans, in iustificato homine fieri *fontem aquae salientis in vitam aeternam* adserit; fons autem nonnisi stabilem, ac permanentem aquam indicat. Eadem ratione tales dicendi modos adhibent Patres, ubi de iustificante gratia loquuntur, qui eam habitualem esse clarissime indicant. S. Irenaeus enim perfectum, seu iustum hominem tribus componi adfirmat, corpore scilicet, anima, et Spiritu Dei, seu Spiritus Sancti gratia; nec non Spiritum Sanctum in animam effundi, eique commisceri pronunciat. Lib. V. contra Haeres. cap. VI. S. Ambrosius vero iustificantem gratiam picturae comparat, quam in anima pingit ipsemet Deus. Lib. VI. Hexameron cap. VIII. Item oculorum aciei, et arti, qua pollet Artifex, sanctificantem gratiam comparat S. Basilius. De Spiritu Sancto cap. XXVI. Denique S. Hieronymus sic Apostoli postrema verba ad Philemonem » *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum Spiritu vestro* » explicat: *Quum in spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritalem;*

ut et caro spiritui serviat, et anima non vincatur a carne, et redacta simul in substantiam spiritualem adhaereant Domino, quia qui adhaeret Domino, unus spiritus est. Eandem veritatem confirmant Theologicae rationes, quarum praecipuae sunt. Primo, quod non per nudum Dei favorem, sed per inhaerentem gratiam iustus fit homo, quod definivit Tridentina Synodus, Sess. VI. Can. XI. quae etiam impii iustificationem ita in Scripturis describi docet, *ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, Salvatorem nostrum.* Sess. VI. cap. IV. Atqui gratia inhaerens, et status gratiae habitum apertissime significant. Secundo, quod non adultis tantum, sed etiam infantibus sanctificantem gratiam tribuit Deus; at actuum incapaces sunt infantes: ergo per modum habitus in infantes infunditur gratia sanctificans. Tertio, quod inter originale peccatum, et iustificantem gratiam comparationem instituit Scriptura his ver-

bis: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi.* Rom. V. 19. Atqui Adae peccatum in posteris eius actus non est, sed habitus. Ergo habitus quoque, non actus, est iustificans gratia. Quarto demum, quod Baptismi gratia regeneratio, et renovatio appellatur, Tit. III. Regeneratio autem, et renovatio permanentem statum, non transeuntem actum significant. Plura vide, si lubet, apud Estium Senten. Lib. II. Dist. XXVI. §. II.

Sectio II.

De gratiae actualis necessitate, efficacitate, distributione.

Corollarium I.

Ex prima propositione illud facillime deducitur, quidquid scilicet quolibet modo ad aeternam vitam acquirendam pertinet, sine gratia obtineri non posse. Itaque omnia, modo ad vitam aeternam vel proxime, vel remote dirigant, sive intellectum, sive voluntatem spectent; veritatis cognitio, boni effectio, animi ad gratiam praeparatio, tentationum victoria, perseverantia, aliaque similia, singula gratiae effectus sunt, et sine gratia haberi non possunt. Atque hoc sensu optime scribebat S. Augustinus: *Intelligenda est enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo faciunt bonum: non solum,*

ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam, ut praestante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt. De Corrept. et Grat. cap. II. n. 3.

COROLLARIUM II.

Ex minima gratiae efficacia, de qua verba fecimus in secunda Propositione, illud certe non deducitur, scilicet Dei operationem minime efficacem esse, sed tantum hominem quavis gratia adiutum, nihilominus esse liberum. Ceterum Dei operatio semper effectum suum obtinet: quare merito actualem gratiam *misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur* definivit. S. Thom. Quaest. XXIV. de Veritate art. IV. *Revera* enim, inquit Sylvius, *omnis gratia est efficax alicuius effectus, eius nimirum, ad quem proxime ordinatur, et quem Deus absoluta voluntate intendit iuxta illud Psalmi* CXIII. » *Deus autem noster in coelo: omnia quaecumque voluit fecit* ». In 1. 2. quaest. CXII. art. III. quaest. 3. *Hanc* vero

gratiam, addit Contensonius, *parvam appellat* (S. Augustinus) *quae parva, et imperfecta desideria, et imbecillem voluntatem parit, quamvis respectu huiusmodi imperfectorum semivolentis hominis desideriorum efficax dici possit, tamen respectu principalis effectus, conversionis nimirum perfectae, sufficiens solummodo est.* Lib. VIII. Dissert. II. cap. 2. Itaque gratia, si eam consideres ex parte Dei, efficax semper est. Ad rem S. Thomas. *Potest* gratia *considerari secundum quod est a Deo movente; et tunc habet necessitatem ad id quod ordinatur a Deo non quidem coactionis, sed infallibilitatis; secundum quod Augustinus dicit* in lib. de Dono Perseverantiae cap. XIV. n. 35. *quod » per beneficia Dei certissime liberantur quicumque liberantur »* 1. 2. quaest. CXII. art. III. corp. Ipsemet namque Deus adfirmat: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui.* Isai. LV. 11.

Corollarium III.

Quamquam non posse tota vita peccata omnia etiam venialia vitare hominem semel iustificatum declaraverit Tridentina Synodus, ea tamen, quae ad dogma hoc demonstrandum in tertia Propositione retulimus, ne longe quidem diuque id posse iustum ostendunt: siquidem illi continuo est cum concupiscentia certamen. Quod tamen ordinariis gratiae auxiliis non accidit, singulari divinae gratiae privilegio fieri potest, et in Beata Virgine Dei matre factum est, ut proprio loco demonstravimus.

Corollarium IV.

Ex iis, quae in quarta Propositione demonstravimus, non infertur gratiam aliquibus debitam, sed tantummodo Dei dona inter se cohaerere, quoniam *qui coepit opus ipse perficiet;* ideoque iustum, instante praecepto, a Deo non deseri, sed gratiam ad praeceptum implendum accipere. Quod autem de iusto

dicimus, aequo iure de peccatore dicere non possumus; quum peccator propria malitia a iustitiae statu excidendo gratiae auxilio se indignum reddidit. Quumque universum hominum genus, Adae peccato infectum, gratiae indignum evasisset, omnibus omnino hominibus gratiam denegare merito potuisset Deus.

SECTIO III.

De gratia habituali, seu iustificante.

COROLLARIUM I.

Ex iis, quae in prima Propositione demonstranda attulimus, quaenam sint iustificationis causae, quinam vero effectus, facillime deducitur. Utrumque declaravit Tridentina Synodus. Primum, quum postquam iustificationis naturam explicavit verbis, quae pag. 210 reportavimus, haec addit: *Huius iustificationis causae sunt; finalis quidem gloria Dei, et Christi, et vita aeterna; efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit, et*

sanctificat signans , et ungens Spiritu promissionis sancto , qui est pignus haereditatis nostrae ; meritoria autem dilectissimus unigenitus suus , Dominus noster Iesus Christus ; qui, quum essemus inimici , propter nimiam charitatem , qua dilexit nos , sua sanctissima passione in ligno Crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit. Instrumentalis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei , sine qua nulli umquam contigit iustificatio. Demum unica formalis causa est iustitia Dei ; non qua ipse iustus est , sed qua nos iustos facit. De Iustif. Sess. VI. cap. VII. Alterum, quum paulo post alia verba iustificationis naturam magis magisque explanantia , quae pagina 111 reperies , pergit : *Quamquam enim nemo possit esse iustus , nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur; id tamen in hac impii iustificatione fit , dum eiusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur,*

atque ipsis inaheret, unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit. Ibid. Quibus verbis varios Pseudo-Reformatorum errores refellit Tridentina Synodus, ut apposite animadvertit Bellarminus De Iustificatione Lib. I. cap. II. Primus Martini Buceri, qui duplicem iustificationis formalem causam machinatus est, priorem scilicet imperfectam, quam in virtutibus in animo inhaerentibus, alteram perfectam, quam in Christi iustitia nobis imputata reponit; at Synodus aperte ait: *Unica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit.* In Buceri errorem raptus est Albertus Pighius, licet alio sensu, et animo, ut ostendit idem Bellarminus cit. loc. cap. I. Alter Osiandri qui ex libris Lutheri excerpta sententia docuit ipsam Dei iustitiam esse iustitiam nostram; at

contra docet Synodus nos iustificari Dei iustitia *non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit?* Tertius Lutheranorum, qui imputativam iustitiam venditant; Synodus vero *inhaerentem iustitiam* apertissime ostendit his verbis: *qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur, et sumus.* Quartus Calvini, qui iustificationem describit more forensi, eam adserens totam in sola exteriori peccatorum remissione consistere; quum expresse dicat Synodus, quod in iustificatione *per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur atque ipsis inhaeret.* Quintus denique Lutheri, qui in sola fide iustificationem statuit; Synodus autem adiungit: *ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hac* (charitate scilicet) *simul infusa, accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem.*

Eadem Catholica doctrina in I. Propositione iam demonstrata refutantur illae Baii propositiones, quibus a charitate dividi posse pecca-

torum remissionem adseritur, nempè: *Charitas perfecta, et sincera, quae est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in cathecumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Prop. 31. *Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.* Prop. 32. *Catechumenus iuste, recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac Legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae Baptismi lavacro demum percipitur.* Prop. 33.

COROLLARIUM II.

Ex his, quae in secunda Propositione contra Pseudo-Reformatorum haeresim de sola fide iustificante retulimus, constat quam merito de modo praeparationis ad iustificationem his verbis loquuta sit Tridentina Synodus: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, et adiuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in De-*

um, credentes vera esse quae divinitus revelata, et promissa sunt, atque illud in primis a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu; et dum peccatores se esse intelligentes a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam iustitiae fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccatum per odium aliquod, et detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De Iustif. sess. VI. cap. IV. Item ex eadem propositione colligitur falsum esse, tum quod fides sit *formalis iustitia, propter quam homo iustificatur, non propter charitatem*, ut adserit Lutherus in cap. II. ad Galat.; tum quod fides nihil aliud efficiat, quam iustificationem recipere, ut manus eleemosynam, ut Kem-

nitius in Examin. Conc. Triden. Sess. VI. Calvinus in Antidoto Conc. Trident. ad Can. XI. Sess. VI. aliique contendunt; tum denique quod charitas, aliaeque virtutes, comitentur licet iustificationem, eius tamen forma, vel causa formalis, nullo modo sint, ut Wittembergenses in Colloq. Altemburg. et Calvinus loc. cit.

Corollarium III.

Quae in tertia propositione demonstranda allata sunt, ostendunt duplex discrimen inter Catholicorum fidem, quae prior est ad iustificationem animi dispositio, et Pseudo-Reformatorum fidem, in qua totam consistere iustificationem iactant; alterum scilicet quod ad obiectum fidei, alterum quod ad animi facultatem, in qua fides inhaereat. Catholici enim primo fidei nomine Theologicam virtutem intelligentes, qua pro certo habemus quidquid Deus verbo suo per Ecclesiam nobis revelavit; fidei obiectum in omnibus veritatibus a Deo revelatis collocant; Pseudo-Reformati vero cer-

tam infallibilemque Divinae misericordiae peccata cuilibet credenti remittentis fiduciam, quae a Catholicis *praesumptio* potius vocatur fidei nomine intelligentes, fidei obiectum in sola Dei misericordia peccata propter Christi merita condonantis ponunt. Deinde Catholici fidem in intellectu revelatae doctrinae assentiente ponunt; Pseudo-Reformati vero in voluntate, atque ita fidem cum spe confundunt. Nimirum his verbis iustificantem fidem declarat Lutherus: *Fides est certa, altissimeque animo insidens divinae bonitatis, et gratiae per verbum Dei cognitae atque manifestae, fiducia.* In Serm. Dom. II. Quadragesimae. Calvinus vero, qui licet aliquantulum verbis a Luthero discedat, re tamen cum illo consentit, diversa verba eodem sensu in contextu explicans: *Fides est divinae erga nos benevolentiae firma, certaque cognitio, quae gratuitae in Christo promissionis veritate fundata per Spiritum Sanctum et revelatur mentibus nostris, et cordibus obsignatur.* Instit. Lib. III. cap. II. §. 7.

Corollarium IV.

Duplex error quarta Propositione confutatur; primus Ioviniani, de quo S. Hieronymus in II. Lib. adv. Iovinian. alter Lutheranorum. Iovinianus nimirum veterum Stoicorum sententiam sequutus, tum virtutes, tum vitia omnia paria esse docebat. Lutherani vero, etsi negare non videantur fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes augeri posse, easque alium alio intensius possidere; adfirmant tamen per earum augmentum in homine non augeri iustitiam, nec hominem ipsum alio homine fieri iustiorem; siquidem non in ipsis, sed in iustitia Dei per fidem a nobis recepta, et ad nos applicata, consistit iustificatio.

Corollarium V.

Ex iis, quae in quinta Propositione demostranda adduximus argumenta, constat quaestionem inter Catholicos, et Pseudo-Reformatos circa fidei, vel fiduciae in Deum, abso-

lutam firmitatem non versari. Numquam enim docuerunt Catholici cum fide Theologica dubitationem posse componi, vel dari posse fiduciam in Deum, ubi eius misericordia, vel veracitas in dubium revocetur, ut calumniantur Calvinus, et Kemnitius. Quod enim in dubium, incertumque revocant Caholici, sunt animi dispositiones ad iustitiam recipiendam requisitae; nequaquam vero vel veritates a Deo revelatae, quae sunt fidei obiectum, vel Dei misericordia, et infinita veracitas, nec non Christi merita, quae sunt objectum fiduciae, vel spei. Itaque, quum ad iustitiam obtinendam requiratur ex una parte Dei misericordia peccata remittentis propter Christum, ex altera parte hominis dispositio, cuius defectus iustificationem impedit, ac prior sit certissima, altera vero incerta; hinc recte concludunt Catholici nemini sine speciali revelatione, absoluta, et infallibili firmitate se iustificatum fuisse tenendum; quod quidem, si cui in dubium veniat, ipsum numquam vere fuisse iustificatum ideo non decernendum.

Corollarium VI.

Calvini haeresis, quam in VI. Propositione confutavimus iamdiu ab Ecclesia damnata fuerat in Ioviniano, testibus S. Hieronymo in Lib. II. adv. Iovin. et S. Augustino Haeres. LXXXII. Iovinianus enim, ipse quoque, Baptismo iustificatos amplius peccare non posse docebat; adeo ut, si peccaverint, vere iustitiam non accepisse, sed tantum aqua ablutos fuisse concludendum.

Corollarium VII.

In septima Propositione argumenta praecipua edidimus, quibus confutatur omnium perniciosissimus Pseudo-Reformatorum error. Quidquid enim ipsi vanis dicendi modis de bonorum operum necessitate, quam *praesentiae non efficientiae* appellant, dictitent; certum tamen exploratumque est eos contendere bona opera ad aeternam salutem obtinendam necessaria non esse, quod sane totam Evangelii Legem

pessumdat, ac omnibus omnino vitiis liberam, amplamque aperit viam. Nimirum veram sanctamque libertatem, quam Filius Dei homo factus hominibus restituere (ex inordinatis cupiditatibus ad suae Legis ordinem ipsos adducendo) proprio sanguine curavit, nimis malitiosa interpretatione invertentes, eiusdem Legis dulce et suave iugum frangere, et abiicere isti conati sunt, principia docentes, quae nedum animo ferre, sed ne auribus quidem accipere possunt Christi discipuli. Vide Bellarmin. de Iustif. Lib. IV. Cap. I.

CAPUT V.

Praecipuae Theologorum quaestiones circa Christi gratiam exponuntur.

Exposita iam, ac demonstrata doctrina, quam tenet Catholica Ecclesia circa Christi gratiam, Corollariisque ab ea deductis; praecipuas Theologorum quaestiones in hac materia breviter, ut moris est, exponimus.

§. I. Ac primum quidem obtinet locum omnium clarissima, et celebratissima quaestio illa, quae inter Molinistas, Congruistas, Thomistas, Augustinianosque, est de modo, quo Dei gratia liberam hominis voluntatem afficit, eamque ad id, quod fieri oportet, efficiendum movet. In qua quaestione commemoranda, ne propositae brevitatis fines excedamus, singulorum sententias, ac principalia argumenta, quibus, veluti fundamento, sententias ipsas superstruxerunt earum patroni, paucis complectemur.

§. II. Quaestio autem perdifficilis sane, et

perobscura, est inter dictos Theologos de gratiae natura, et efficacitate, qua homo, vel innocens, vel in peccatum prolapsus, indiget, ut bona opera efficiat, quibus ad aeternam vitam pervenire possit. Ipsam nimirum enodare cupientes Molinistae, et Thomistae, opposita incedunt via; mediam vero inter utrosque sequuntur Congruistae, et Augustiniani, illorum sententias quodammodo temperare conati. Molinistae namque, a Ludovico Molina e Societate Iesu ita appellati, homini seu innocenti, seu lapso non aliam gratiam necessariam fuisse contendunt, nisi illam, quam versatilem appellant, quae scilicet hominem ad aeternam vitam promerendam adiuvet, et sola satis sit, si homo ipse non resistat; at, si resistat, nihil efficiat eiusmodi gratia, nec umquam vires suas exserat. Thomistae vero, qui a S. Thoma eorum sententiae Auctore vocantur, duplicem gratiam distinguunt, efficacem nempe, et sufficientem; quarum prior talis est suapte natura, ut hominem ad bona opera efficienda, quibus vitam aeternam promereatur, *infallibiliter*, etsi non necessario, determinet; al-

tera autem talis, ut homini potentiam vitae aeternae bonis operibus obtinendae concedat, licet hominem ipsum ad actum *infallibiliter* non determinet. At Molinae sententiam, quae nimium libero arbitrio indulgere videbatur, gratiae efficientiam absolute ab eo repetens, emollire tentantes quidam alii gratiae efficacitem non ab ipso absolute repetunt, sed etiam a quibusdam opportunis circumstantiis, quas *congruas* appellant; in his enim positum hominem divinae gratiae obtemperare docent, quod non efficeret, si minus opportunae forent circumstantiae. Huiusmodi temperamenti inventores fuerunt Suarez, et Vasquez, Congruistae propterea appellati. Augustiniani denique ita vocati, quod ad S. Augustini mentem se propius accessisse arbitrantur, homini innocenti satis fuisse versatilem gratiam cum Molinistis consentiunt, homini vero in peccatum prolapso efficacem omnino necessariam esse ad aeternam vitam bonis operibus sibi comparandam cum Thomistis contendunt; licet gratiae efficacitatem non *absolutam* prorsus, et *intrinsecam*, ut Thomistae, censeant, sed

relativam, et quodammodo extrinsecam, existiment, ex comparatione scilicet, quam inter delectationis ex charitate, et voluptatis ex concupiscentia provenientis gradus instituunt.

§. III. Tribus principiis utitur Molina, quae veluti fundamenta sententiae suae iacit. Primum scilicet originali peccato homines gratiae donis spoliati fuerunt: *at vires naturales tales secundum se remanserunt, quales illas essemus habituri, si in puris naturalibus ad finem tantum naturalem a principio conditi fuissemus. Peccatum namque primi parentis solum in gratuitis nobis nocuit, et ob id naturalia in nobis, et in Angelis post peccatum integra remanserunt, qualia essent suapte natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecta.* Molina in lib. de Concordia Liberi Arbitrii cum Gratiae donis, etc. pag. 14. Ed. Ulyssipone 1588. Alterum, quod Deus *vult omnes homines salvos fieri* I. Tim. II. 4. ideoque versatilem gratiam, si modo non resistant, dat omnibus, ut salutem aeternam consequantur. Tertium, denique quod *suus etiam locus relinquendus est li-*

bero arbitrio cuiusque, a quo, praesto existente auxilio gratiae, pendet, quod peccator convertatur, aut non convertatur. Molina ibidem pag. 53.

§. IV. His vero fundamentis nititur Thomistarum sententia. Primo nempe, quod originali peccato non tantum gratiae donis spoliatus fuerit homo, sed etiam naturalibus viribus debilitatus, ut in Evangelica parabola homo ille ab Ierusalem in Iericho descendens, *qui incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt, et plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Luc. X. 30: quamobrem aiebat S. Augustinus: *Quid tantum de naturae possibilitate praesumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est.* De Nat. et Grat. cap. LIII. n. 62. Altero, quod non ea fuerit Apostoli mens ad Timotheum scribentis, quam opinatur Molina, sed ea potius quam interpretatur S. Augustinus triplici ratione S. Pauli citata verba exponens. *Quum audimus*, (en prior interpretationis ratio) *et in sacris litteris legimus, quod* (Deus) *velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis non omnes*

homines salvos fieri ; non tamen ideo debemus omnipotentissimae Dei voluntati (efficaci gratia hominis voluntatem *infallibiliter*, etsi non necessario, ad aeternam salutem sibi procurandam determinanti) *aliquid derogare sed ita intelligere, quod scriptum est ..... tanquam diceretur nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi, quem salvum fieri velit ; sed quod nullus fiat, nisi quem velit ; et ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit.* S. Aug. Enchirid. cap. CIII. n. 27. *Aut certe* (en secunda S. Augustini interpretatio) *sic dictum est, qui vult omnes homines salvos fieri . . . . . ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascumque differentias distributum ; Reges, privatos ; nobiles, ignobiles ; . . . . . doctos, indoctos ; . . . . . divites, pauperes ; . . . . . mares, foeminas ; infantes, senes* etc. Ibid. *Potest etiam sic intelligi* (en tertia) *quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle ; sicut misit Spiritum*

Filii sui clamantem Abba Pater, id est nos clamare facientem .... nos ergo clamamus; sed ille clamare dictus est, qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem spiritum recte dixit Scriptura, a quo efficitur, ut clamemus; recte etiam volentem Deum, a quo efficitur ut velimus. De Corrept. et Gratia cap. XV. n. 47. Duas autem priores interpretationes sic concludit: *Quocumque alio modo intelligi potest* (allata Apostoli sententia), *dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse; qui sine ullis ambiguitatibus, » si in coelo, et in » terra » sicut eum veritas cantat « omnia » quae cumque voluit fecit »*) Psalm. CXIII. II.) *profecto facere noluit, quodcumque non fecit.* Enchirid. cap. CIII. n. 27. Quam quidem S. Augustini conclusionem cum versatili Molinae gratia consistere non posse advertunt Thomistae. Tertio demum, quod libero humanae voluntatis arbitrio nequaquam repugnat omnipotentissima, ut appellat S. Augustinus, Dei voluntas hominem gratia quan-

tumvis efficaci adiuvans, immo quo magis habet efficacitatis divina operatio, eo magis habet libertatis humana voluntas, quod solida ratione ex illis Sacrae Scripturae verbis depromta « *et abierunt potentes, quorum tetigit Dominus corda, cum Saule* » II. Reg. X. 15. ostendit S. Augustinus. *Qui* (Deus) *tamen*, inquit, *hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* De Corrept. et Grat. cap. XIV. n. 45. Et paulo post: *Si ergo, quum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; quis alius facit ut salubris sit correptio, et fiat in correpti corde correctio ut coelesti constituatur in regno?* Ibid. Confirmat vero, et clarius explicat brevissimo ratiocinio S. Thomas. *Quum enim* ait, *aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non* ***tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi . . .***

. . . *Quum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult.* Itaque quod *omnipotentissima* Dei voluntate, dum efficaci gratia hominis voluntatem movet, fit, non modo *infallibiliter* fit, quia Deus fieri vult, sed etiam libere fit, quia Deus ita fieri vult.

§. V. Initium praeterea, et fundamentum Congruistarum sententiae illud est, quod liberum humanae voluntatis arbitrium cum efficacissima Dei voluntate, quam excludere videbatur Molinae doctrina, conciliare cupientes; iis, quos Deus efficaci voluntate salvos fieri vult, versatilem gratiam in talibus circumstantiis dare opinati sunt, in quibus positos dictae gratiae certo certius assensuros scientia media praevidit. Atque hoc illis Christi verbis declarant: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida; quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* Matth. XI. 21. Confirmant insuper

S. Augustini animadversione. *Ubi Tyrii relicti sunt, et Sidonii, inquit, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo adparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant: et tamen si Dei altiore iudicio a perditionis massa non sunt gratiae predestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta divina, vel facta, per quae possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.* De Dono Persevcrant. cap. XIV. n. 35.

§. VI. Augustiniani denique sententiae suae fundamentum ponunt hanc S. Augustini doctrinam: *Itemque ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit* (versatile scilicet, ut interpetrantur Augustiniani cum Molinistis; Thomistae vero sufficiens) *et aliud est adiutorium, quo aliquid fit* (efficax nempe, ut et Augustiniani

et Thomistae intelligunt). . . . . . . *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis non tale adiutorium perseverantiae datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum, ut sine ipso dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint .. . . . . Maior quippe libertas* (ea videlicet, quam efficaci Dei gratia acquirimus, ut paulo post explicat) *est necessaria adversus tot, et tantas tentationes, quae in Paradiso non fuerunt, dono perseverantiae munita, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, horroribus suis vincatur hic Mundus.* De Corrept. et Grat. cap. XII. nn. 34. et 35.

§. VII. Praeterea, etsi Thomistae cum Augu–

stinianis circa efficacis gratiae necessitatem in statu naturae lapsae conveniant; contendunt tamen de ipsius gratiae efficacitatis causa. Augustiniani enim efficacis gratiae vim ex sancta delectatione concupiscentiae victrice, Thomistae ex physica Dei praemotione repetunt. Itaque eadem gratia secundum Augustinianos in quibusdam est efficax, in aliis vero sufficiens: si namque quatuor, exempli causa, delectationis gradus habeat gratia, in eo, qui tribus concupiscentiae gradibus allicitur, efficax erit, pravam scilicet delectationem vincet sancta delectatio; in eo contra, qui quinque concupiscentiae gradibus stimulatur, erit sufficiens, sanctam nempe delectationem vincet delectatio prava. At secundum Thomistas quaevis efficax gratia semper talis erit; siquidem *omnipotentissimae* Dei voluntati nihil resistit, ideoque Deus gratiae suae delectatione quamlibet contrariam delectationem vincit, et consequenter a gratia efficaci inseparabilis est delectatio semper concupiscentiae victrix.

§. VIII. Illud etiam animadvertendum, ex Thomistarum sententia ad quodlibet opus,

seu naturale, seu supernaturale, homini, seu innocenti, seu lapso, satis non esse communem, et generalem Dei concursum, sed necessario requiri peculiarem, et proprium, quem praemotionem physicam ipsi appellant. E contrario secundum Molinae sententiam, quod ad opera naturalia spectat, *cum solo concursu Dei generali implere poterat totam Legem naturalem* homo innocens, quod vero ad supernaturalia opera, *cum habitibus fidei, spei, et charitatis, et communi Dei auxilio operari poterat suam salutem.* Molina in citato De concordia libro pag. 17.

§.IX. A priori iam exposita omnium celebratissima quaestione ad alteram, quae ex illa pendet, exponendam gradum facimus. Quaerunt nimirum Theologi quid boni post Adae lapsum facere possit homo solis naturae viribus. Fatentur scilicet omnes illud, nihil boni, quod ad aeternam vitam quovis modo spectat, seu ante, seu post receptam fidem, efficere posse hominem sine gratia; utrum vero, supernaturalibus operibus exclusis, bona aliqua opera, naturalia efficere, et navare possit sine gratia,

disputant. Quidam enim nullum morale opus naturaliter bonum effici posse ab homine lapso contendunt. Quidam vero prorsus omnia eiusmodi bona opera sine gratia effici posse arbitrantur. Alii denique mediam inter utrosque viam sequuntur; *idque rectius,* inquit Estius, qui ad totam hanc disputationem apertius declarandam, plures propositiones statuit ac demonstrat, quas lege, si placet, in Sentent. Lib. II. Dist. XXVI. §. XV. Huic affinis altera quaestio est; utrum scilicet Deum, ut Naturae Auctorem, super omnia diligere queat homo lapsus sine gratia. Posse namque affirmant Durandus, Scotus, aliique; negat vero S. Thomas 1. 2. qu. CIX. art. 3. et 2. 2. qu. II. art. V. ad 1. Consule Estium ibid. §. XXXVII. et seq. Item tertia quaestio, an sine gratia servari possint ab homine lapso omnia Legis naturalis praecepta. Concedunt Durandus, Scotus, Abulensis; negant S. Thomas, Albertus, S. Bonaventura, aliique. Estium vide ibid. §. XL. et seq.

§. X. Praeterea de gratiae distributione quaerunt Theologi, utrum omnibus detur

gratia. Affirmat Molina, qui sic sententiam suam exponit: *Gratiae praevenientis auxilia confert Deus semper conanti ex suis naturalibus efficere, quod in se est*, variisque Scripturarum, Patrumque testimoniis comprobat; ac demum concludit: *Gratiae auxilia nulli, licet scelesto, denegantur omnino*. In cit. lib. pag. 44. et seqq. Negant alii, inter quos Estius, et Bellarminus, sententiamque suam Scripturis et Patribus ipsi quoque confirmant, maxime S. Augustino, qui scribit: *Quoniam propitio Christo Christiani Catholici sumus, scimus gratiam non omnibus hominibus dari . . . . . scimus iis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari; scimus eis, quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari*. Epist. CCXVII. ad Vitalem cap. V. S. Augustini doctrinam pro more repetit S. Thomas. *Dicendum*, ait, *quod humanum genus, propter peccatum primi parentis, meruit privari auxilio gratiae, et ideo quibuscumque non datur, hoc est ex iustitia; quibuscumque autem datur*,

hoc est ex gratia. 1. 2. quaest. CVI. art. III. ad 1.

§. XI. Principalioribus Theologorum quaestionibus circa gratiam acutalem delibatis, disputatio illa attingenda, quam de gratia habituali instituunt, utrum videlicet gratia sanctificans a charitate distinguatur, nec ne. Nullam inter utramque, nec re, nec ratione, differentiam agnoscit Durandus. Duos esse habitus re ipsa distinctos docet S. Thomas 1. 2. quaest. CX. et alibi. Demum non re, sed ratione tantum, sanctificantem gratiam a charitate distingui contendunt Alexander Alensis, Scotus, Albertus Magnus, aliique; docent enim eamdem qualitatem, seu habitum eumdem gratiam dici, quatenus hominem Deo gratum efficit, charitatem vero, quatenus hominem ad Deum super omnia diligendum promtum reddit; ceterum ea omnia, quae de gratia praedicant Scripturae, et Patres, eadem prorsus de charitate commemorare notant. Vide Estium in Sentent. Lib. II. Dist. XXVI. §. IV. et V.

§.XII. Quod vero inter tot, tantasque doctis-

simorum hominum disputationes numquam ex memoria deponendum monitum illud est saepius a S. Augustino renovatum, gratiae scilicet indolem, efficacitatem, distributionem mysterium esse soli Deo cognitum, nullamque aciem humani ingenii tantam, quae in illud penetrare queat. *Sufficit enim*, ait, *scire homini, quod non est iniquitas apud Deum. Iam quomodo ista dispenset, faciens alios secundum meritum vasa irae, alios secundum gratiam vasa misericordiae; « quis » cognovit sensum Domini, aut quis con- » siliarius eius fuit?* » (Rom. XI. 34.) S. Aug. Contra duas epist. Pelagian. Lib. I. cap. XX. n. 38. *Nimium gratia ista*, sic alibi, *secreta est: gratiam vero esse quis ambigat? . . . . Cur ergo non omnes docet*, (Pater) *ut veniant ad Christum, nisi quia omnes, quos docet, misericordia docet, quos autem non docet, iudicio non docet? Quoniam » cuius vult miseretur, et quem » vult obdurat* » (Rom. IX. 18.): *sed miseretur bona tribuens; obdurat digna retribuens. Aut si et ista, ut quidam di-*

stinguere maluerunt, verba sunt eius, cui Apostolus ait « Dicis itaque mihi » ut ipse dixisse accipiatur « Ergo cuius vult miseretur » et quem vult obdurat; » et quae sequuntur « Quid adhuc conqueritur? nam vo» luntati eius quis resistit? » *Numquid responsum est ab Apostolo. O homo falsum est quod dixisti? Non; sed responsum est:* « *O homo tu quis es, qui respondeas Deo* » De Praed. Sanctorum cap. VIII. nn. 13. 14. Et alibi « *Non enim est iniquitas apud* » *Deum* » (Rom. IX. 14.) « *inscrutabilia* » *sunt iudicia eius*, *et investigabiles viae* » *eius* » (Rom. XI. 23.); « *universae autem* » *viae Domini misericordia*, *et veritas* » (Psalm. XXIV. 10.). *Investigabilis ergo est misericordia, qua cuius vult miseretur, nullis eius praecedentibus meritis; et investigabilis veritas, qua quem vult obdurat, eius quidem praecedentibus meritis, sed cum eo, cuius miseretur, plerumque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum unus assumitur, unus relinquitur, dispar*

est exitus ; merita communia : in quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, ut alter nulla eius iniquitate damnetur. Numquid enim iniquitas est apud Deum? Absit; sed investigabiles sunt viae ipsius.. De Dono persev. cap. XI. n. 25.

INDEX

RERUM, QUAE IN HOC IV. VOLUMINE CONTINENTUR.

DE PRAEDESTINATIONE.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

Scholion.

Prop. IV.

Prop. V.

CAPUT IV.

Corollarium I.

CAPUT III.

Prop. I.

Prop. II.

Prop. III.

Prop. IV.

Sectio III.

Prop. I.

Prop. II.

PROP. III.

PROP. IV.

PROP. V.

PROP. VI.

Corollarium II.

Corollarium III.

Corollarium IV.

SECTIO II.

COROLLARIUM I.

COROLLARIUM II.

COROLLARIUM III.

COROLLARIUM IV.

COROLLARIUM V.

COROLLARIUM VI.

COROLLARIUM VII.

CAPUT V.

Praecipuae Theologorum quaestiones circa Christi gratiam exponuntur.

QUAESTIO I.

QUAESTIO II.

QUAESTIO III.

QUAESTIO IV.

CONCLUSIO.